JOHANNIS STEARNE,

M. & J. U. D.

APHORISMI DE Fœlicitate.

Ὁ θεὸς πάντας ἀνθρώπους ἐπὶ τὸ εὐδαιμονεῖν, ἐπὶ τὸ εὐσταθεῖν ἐποίησε. *Epict.* apud *Arrian.* L. 3. C. 24.

אם לא יהיה מה שתרצה רצה מה שיהיה׃



DUBLINII,
Typis *Johannis Crooke*, Typographi Regii, & prostant venales apud *Sam. Dancer*, 1664.


MVSEVM
BRITAN
NICVM

Honoratissimo, Illustrissimóque

DOMINO,

JACOBO

Duci *Ormoniæ*, &c.

HIBERNIÆ Proregi, & Academiæ *Dublinienſis* Cancellario.

B*Onitate & Beneficentiâ* Magnetica *quædam vis ineſt, ſed quàm in magnete contractior & efficacior. Hic ferrum, illa hominem ad ſe allicit, animal, ſi læſeris, fugax, ſequax, ſi beneſeceris. Tutela enim, (ut credibile eſt) non timor, primos in orbem Deos, Reges ſcilicet & Satrapas*

trapas induxit. At cùm hi, ut maximè velint, omnibus ſimul adeſſe nequeant, immediata & præſentior neceſſitas Clientibus Patronos ſuperinduxit, nè ullibi imbecillitas non haberet Aſylum. *Libri, poſt homines, multis jam retrò ſæculis eandem cum hominibus rationem inierunt, &* Momis, Zoilíſq; *obnoxii, potentiorum ſe tutelæ permiſerunt. Quod & libris è re fuit, & Diis illis Tutelaribus non inhonorificum. Quid igitur hìc non ex more accidit, ſi noſtri quoquè de Beatitate Aphoriſmi, è tenebris in lucem properantes, ad C. T. adeant,*

eant, in ſinum devolent, in Te, ſivè fortunæ, ſive animi bona reſpiciant, Patronum in utriſque ſummum inventuri? Avos ſiquidem, atavóſq; tuos quoties memoriâ repeto, cum Nilo ab origine magnos, *cum Planetarum medio, maximo, Regibus, Reipublicæ, omnibus, ſalutaria illuxiſſe ſidera comperio. Tergeminum* Ormoniæ *Titulum quod ſuperet, in nullâ (quod ſciam)* Britanniæ *familiâ hactenùs reperitur. Sed* Tituli, *ut plurimùm ſplendidi, ab avis benè merentibus in nepotes minùs meritos derivantur. At Tu, Juſtitiâ, Conſtantiâ,*

Tem-

Dedicatio.

Temperantiâ, Fortitudine, aliisq; Heroicis virtutibus, Heroas non modò veteres anteis, sed & ipsis Majoribus tuis, Ormoniæ & Wiltoniæ *Comitibus, Heroum longè maximis, præluces. Quæ commemoratæ virtutes, utut in sereno illo pectore tuo altissimas egerint radices, à nobis tamen participantur per emanationem, & caloris influentiam; Quam qui non sentiunt, stipites esse oportet; si sentiant, & non fateantur, ingratos. Pro operâ fortiter & fideliter præstitâ*, Carolus *fœlicis memoriæ*, Primus, *gratias (quod u-*

num

num potuit) Tibi habuit, Secundus *retulit.* Hibernia *per Te Tuósque ornata olim & aucta, Tuâ unius præsentiâ, prudentiâ & providentiâ, paucorum nuperrimè vindicatur sanguine, & conservatur; idque cùm jam malè feriatorum hominum conjuratio in nervum propè erupisset. Hæc ut sint ad gloriam satis, quia* maxima, *quia* Tua, *ad ejus tamen cumulum nostra quoquè recognitio pertinet. Quam pro virili meâ parte literario hoc quali quali monumento testatam & consignatam, C. T. quâ par est humilitate offero, consecro.*


Dedicatio.

Alterum hunc Minervæ nostræ fœtum, ut priorem, Tanti Mecænatis præsidium cohonestare dignetur, reddátq; quod è temperamento suo sperare non audet, vitalem. Eam intereà, quam apportat, fœlicitatem Tibi, Familiæque Tuæ,

Et natis natorum, & qui nascantur ab illis,

Ut illibata, & perpetua sit, D. O. M. ex animo veneror, & voveo Excellentiæ Tuæ multis nominibus obstrictissimus

JOHANNES STEARNE.



Lectori Salutem.

PHiloſophiam, ante natas ſectas, popu-lariter diviſerunt veteres *Græci*, in *Barbaricam*, *Italicam* & *Græcanicam*. Non quòd eam cum *Cerbero* tricipitem putarent, (fuerunt enim illis æquè ac nobis, unum, verum, & bonum convertibilia) ſed quia videbant triplex hominum genus, triplici temporum tractu, apud tres præcipuè nationes, eam docuiſſe. Quam dixerunt *Barbaricam*, Protoplaſtæ, imò Deo ipſi debet originem, & per *Shethi* poſteros, uſquè ad *Hebræos* propagata eſt. Cæterùm, ſi è cœlo, ut quid audit *Barbara*? Scilicet quia non item è *Græciâ*. *Barbaricam* excepit *Italica*, quæ utiquè brevis ævi fuit. Ex *Indis* enim & *Ægypto* cum *Pythagorâ* in *Latium* navigavit, cúmque *Sextio* Pythagorico (quoad Sectam) exiit. *Græcanicam* excoluerunt primùm Poëtæ, *Muſæus*, *Linus*, *Orpheus* & *Homerus*, eámque poëticis figmentis involutam ſibi ad tempus ſolam habuerunt.

Pherecydes Græcorum primus solutâ oratione de Philosophiâ disseruit. Post *Pherecydem* in duas capitales familias, *Ionicam* nempè, & *Eleaticam* abiit. Ab *Eleaticâ Stoici.* Coloniam (ut ita dixerim) deduxit *Zeno.* Ampliârunt *Cleanthes*, *Chrysippus*, *Diogenes Babylonius*, *Panætius*, & alii *Stoicorum* Patriarchæ, Philosophi haud ignobiles. Qui è *Syriâ*, aliisque regionibus *Palestinæ* ut plurimùm conterminis oriundi, *Hebræis*, & in his, præ aliis, *Pharisæis*, sapientiam, sed jam senescentem ferebant acceptam : Quin & posteris eo numero habiti sunt, ut una *Epicteti* lucernula, (quæ tamen illi domesticum omne instrumentum fuit) mille drachmis, peregrini baculus longè pluris vænierit. Tanti etiam Ethnicis reliquiæ fuerunt! At meherculè *Stoicorum* natio dogmate quàm stemmate clarior extitit ; nisi secundùm naturam minùs depravatam vivere, corruptam vincere, nisi sola bona pulchra, mala turpia, nulláque nisi animi bona agnoscere ; nisi sapientem sibi satis esse, virtutémque ad beatam vitam sufficere ; & nisi Majestatem & Providentiam præ philosophis omnibus Deo asserere, sit qui in præclaris esse non existumet. *Hieronymus* certè horum intuitu,

tuitu, noſtro [*Chriſtiano*] illos dogmati in pleriſque concordare pronunciat. *Tantùm intereſſe inter Stoicos, & cæteros ſapientiam profeſſos, quantùm inter viros & fœminas, Seneca* nullus dubitat. *Metuo* (inquit *Orator*) *licèt inſectemur, ſoli nè philoſophentur Stoici.* Ab *Auguſtino* ducentæ octoginta & octo Philoſophorum de ſummo bono opiniones, ſed ſummatim, commemorantur : De tot, ſive *Auguſtino* creditur, ſive non, in confeſſo eſt, huic tanto ſymbolo *Stoicos* monadem tantùm adjeciſſe. Quæcircà & nobis de eâdem fœlicitate commentantibus, tantùm non ſoli occurrunt, quorum veſtigiis fidentiùs inhæreamus. Quamvis & aliorum præſtantiſſimorum *Authorum* lucubrationes & controverſias hâc de re & numero plures & pondere graviſſimas relegimus, conſuluimus. Quos, ut non cauſemur, in multis tamen non ſequimur; nè vel actum agere, vel litibus (quibus nonnulli, cum ſcurrili iſto apud ſcurram, *Socrate*, ἀεροβατοῦντι) *Lectorem* onerare videremur. Quid igitur in novo hoc opere novi? Nec nihil, nec nimium. Collatis & penſitatis omnium placitis, quæ præſertim à *Stoicis*, quibus inter ſe convenit, & quorum ſcita (quod anteà monui) à no-

ſtris

ſtris non admodùm abludant, de Beatitate exarantur & poſteris mandantur, ad certos *Aphoriſmos* redegimus, nonnullis (ubi opus fuit) lucem intulimus, omnia in ordinem digeſſimus. Quod ab initio hujus opellæ & mens fuit, & inſtitutum. *Epictetum*, *Senecam*, *M. Antoninum* & alios virilis hujus Philoſophiæ Antiſtites ut ſuſpiciamus, ut eorum opera veneremur : in illis tamen, eadem, verbis licèt non iiſdem, ſæpiùs reiterantur (quod repetitis occaſionibus, & eadem differendi opportunitatibus aſcribendum eſt) imò & Theorematum, quibus tota fœlicitatis ratio comprehenditur, nec apud illos definitur numerus, nec obſervatur ordo. Quam tamen illi fœlicitatem docuerunt, & nobis reliquerunt, & nos alibi fuſiùs enarravimus, haud mutamus, ſed contractam magis, & in Axiomata, nec multa, nec vel evidentiâ, vel methodo deſtituta, redactam, cordato & benevolo *Lectori*, quaſi in Tabulâ exhibemus. Beatitudinem, & quæcunque ad eam vel adipiſcendam vel juvandam ſunt neceſſaria paucis complectimur, quod nemini vel ingratum fore ſperamus, vel inutile. Tu, *Lector*, hoc noſtro conatu fruere, & Vale.

Ad

Ad Doctissimum Authorem, de bonis Literis indefessim & optime meritum.

NUlla est, Sterne, *tuis par Musa polygraphe scriptis:*
Quippè tuis, superas carmina nostra, Libris.
Nec benè sentiri *vehemens, & sensile forte:*
Nec benè laudari *non mediocre, potest.*
Cuncta licèt fingam; non si me rupero cantu,
Quod summum *est majus, reddiderôve minus.*
Otia fac Prælo, *vel tu tibi quære camœnam,*
Cujus inexhausto pectus ab igne calet.
Scribe tamen, nemo, licèt ambulet ante, Poeta
Nata recèns, & quæ, Fama *loquatur, anus.*
Quamvis non video, quid jam Fœlicibus *addas,*
At nihil est quod non, tùque labórque dabis.
Pondus & ingenii, facit, irrequietis acumen,
Cum cœlo ut motus, *sit tibi,* STERNE, quies.

R OB. *Kilmorensis.*

In Clarissimum, acutissimúmque Virum, *D.* JOH. STEARNE, U. J. & M. D. & ejus de Fœlicitate Aphorismos Δικαστικόν.

QUærimus ut *benè* sit, sed non benè; fallimur ergo,
Et rata per multis vota fuisse, nocet.
Scilicet *electu* rerum peccatur, & *usu*,
Principiis, *mediis*, *finibus* error inest.
Sternius occurrit morbo, quaque arte *beatis*
Esse licet, methodo sed breviore docet.
Hoc duce, *supremum*, vel reclamante *Solone*
Fœlix ante diem, *funus* & esse potes.
Marcus, *Epictetus*, *Zeno* quibus excidit, audet,
Victurísq; premit *Sternius*, illa, schedis.

Joh. Maxwell.

INDEX APHORISMORUM.

Sectio Prima.

Aphorismus Primus.

Homo naturaliter appetit fœlicitatem.

Aphorismus 2. *Homo naturaliter abhorret à miseriâ.*

Aphor. 3. *Est in hominis potestate fœlicitatem adipisci & miseriam devitare.*

Aphor. 4. *Ut potestas fœlicitatem consequendi & miseriam devitandi, ad actum perducatur, satis est certò, cùm ea quæ volumus consequi & retinere, consequi & retinere; cùm in ea, in quæ nolumus incidere, non incidere.*

Aphor. 5. *Certò adipiscimur & retinemus, quæ adipisci & retinere volumus, certóque in ea non incidimus, in quæ incidere nolumus, si adipisci & retinere velimus, quæ adipisci & retinere certò penes nos est, & in*

in ea incidere nolimus, quæ devitare, certò itidem penes nos est.

Aphor. 6. *Quæ certò adipisci & retinere possumus, adipisci & retinere velle, atque in ea, quæ devitare certò possumus, incidere nolle debemus.*

Aphor. 7. *Quæ consequi & retinere certò possumus, ea sunt multa, magna, præclara; quæque devitare certò penes nos est, turpia sunt, inhonesta, veréque mala.*

Aphor. 8. *Quæ in explicatione præcedentis Aphorismi commendantur, amplexando; & quæ ibidem improbantur, aversando, sumus boni.*

Aphor. 9. *Boni sunt fœlices.*

Aphor. 10. *Omnes homines debent esse beati.*

Aphor. 11. *Potestas beatitudinem consequendi & miseriam devitandi, fine suo frustratur necessariò, volendo consequi & retinere, quæ consequi & retinere nequimus, & nolendo in illud incidere, quod devitare non possumus.*

Aphor. 12. *Debemus nec velle consequi & retinere, quæ consequi & retinere non possumus, nec nolle incidere in ea, quæ devitare nequimus.*

Aphor. 13. *Mali sumus volendo consequi & retinere, quæ consequi & retinere non possumus,*

ſumus, & nolendo incidere in ea, quæ devitare nequimus.

Aphor. 14. *Miſeri ſumus volendo conſequi & retinere, quæ conſequi & retinere non poſſumus, & nolendo incidere in ea, quæ devitare nequimus.*

Aphor. 15. *Actus voluntatis, quibus aut volumus ea conſequi & retinere, quæ an conſequi & retinere poſſimus, incertum eſt; aut nolumus in ea incidere, quæ an devitare valeamus, incertum eſt, laborant periculo fruſtrationis.*

Aphor. 16. *Ubi fruſtrationis periculum, ibi metus.*

Aphor. 17. *Ubi metus, ibi non eſt fœlicitas.*

Aphor. 18. *Debemus nec ea velle conſequi & retinere, quæ an conſequi & retinere valeamus, incertum eſt; nec in ea incidere nolle, quæ an devitare poſſimus, incertum eſt.*

Aphor. 19. *Ea quæ an conſequi & retinere poſſimus, incertum eſt, ſunt terrena, caduca & vana; quæ vulgò bona corporis & fortunæ nuncupantur; & quæ an devitare valeamus, incertum eſt, ſunt iis contraria.*

Aphor. 20. *Volendo & nolendo incerta; quæ ſcilicet bona corporis & fortunæ appellantur, iiſque ſunt contraria, ſumus mali.*

Aphor.

Sectio Secunda.

SECTIO Tertia.

Aphor.

Sectio Quarta.

Ad Lectorem Admonitio.

SEct. 1. Aphoriſ. 21. Malos eſſe miſeros dicimus; quod, niſi de rerum, quas depereunt, incertitudine omninò non cogitent, vel illas eſſe certas falſò exiſtiment, (cujus incogitantiæ aut erroris frequentiam & diuturnitatem vetat evidentiſſima fortunæ inconſtantia) ſemper verum eſſe putamus; & Aphoriſmi veritatem haud aliter aſſerimus, quod Te latere noluimus.

Ad Lectorem Admonitio.

SEct. 1. Aphorism. 21. Malos esse miseros dicimus; quod, nisi de rerum, quas deperiunt, incertitudine omninò non cogitent, vel illas esse certas falsò existiment, (cujus incogitantiæ aut erroris frequentiam & diuturnitatem vetat evidentissima fortunæ inconstantia) semper verum esse putamus; & Aphorismi veritatem haud aliter asserimus, quod Te latere noluimus.



JOHANNIS STEARNE, M. & J. U. D.

APHORISMI DE Fœlicitate.

SECT. I.

Aphoriſmus primus.

Homo Naturaliter appetit Fœlicitatem.

COgitationes Humanæ, veluti πρόσωπα τ῀ γενέσεως, [*Jacob. c.* 1. *v.* 23.] variæ ſunt ac diſſimiles. ὥσπερ ἐχ' ὅμοια πρόσωπα προσώποις, οὕτως ὐδὲ αἱ διάνοιαι τῶν ἀνθρώπων, *Proverb. c.* 27. *v.* 19. Nec faciem alteri undiquaquè ſimilem, nec

conceptus plùs minùs haud diſcrepantes, reperire eſt: Imò, ſua cuique facies conſtans eſt & certa, cogitationes verò permultæ, admodùm incertæ, & ſibi mutuò non infrequenter adverſæ; quod in ſeipſo, omni procul dubio experitur quiſquis motus animi ſui ſedulò obſervare dignatur.

Ut autem cogitationum, ita & appetituum, ingens pugna, varietas magna. Intellectus quippè eſt τὸ ἀρχέτυπον, quod voluntas refert & imitatur. *Pueri* (inquit *Epictetus*, Enchirid.c.35.) *nunc pugiles ludunt, nunc tibicines, nunc gladiatores, jam tubâ canunt, jam tragœdias repræſentant. Tu quoque ſic, nunc pugil, mox gladiator, poſteà orator, demùm philoſophus, toto autem animo nihil: ſed ut ſimius, quicquid ſpectaveris, imitabere, atque aliud ex alio adamabis.* A pueris, ætate, non appetitus inconſtantiâ, annis, non levitate deſideriorum, diſcrepant grandævi. Adulti quidem multò majora ludunt & pupis longè grandioribus, ſed illis & pueris amoris in faſtidium mutabilitas eſt eadem; neutris diù placet idem inſtitutum; nemo ſibi conſtat.

———*Si quis Deus, en ego, dicat,*
Jam faciam quod vultis. Eris tu, qui modò miles,
Mercator: Tu, consultus modò, rusticus. Hinc (vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia
Quid statis? nolint. Horat. Serm. l. 1. Satyr. 1.

Vota nostra numero coarctari recusant; ut *Euripus*, fluunt & refluunt; ut *Proteus*, mutantur. Adeò frequenter rescindimus desideria, ut abrogatio videri queat unicus ipsorum scopus, & nos tam ad immutanda desideria, quàm ad desiderandum, nasci, haud immeritò suspicari possit non nemo. Ad hanc votorum inconstantiam adstruendam quisque sibi satis est. Quòd si quis minùs sit diligens & curiosus observator sui, (ut ferè fit) consulat *Theodor. Zuingeri* Theatr. Human. vitæ volum. 21. l. 4. p. 3870. ubi exempla inconstantiæ maximè insignia non desiderantur. *Varietas cupiditatum rationalium* (inquit *Theophilus Raynaudus*, Moral. Disciplin. Distinct. 3. q. 2. Art. 3. n. 180.) *immensa est & infinita. Neque enim certam aliquam desideriorum multitudinem profundit humanus appetitus, sed examina & populos cupiditatum, & tantâ quidem multitudine, ut subduci nequeat numerus.* Rursus, *illud præterea insigniter*

ſigniter circa hanc cupiditatis humanæ multiplicitatem & inexplebilitatem à Platone traditum eſt initio Libri ſexti de Repub. Eſtq; etiam à S. Auguſtino obſervatum, L. de bono viduit. c. 21. *unâ cupiditate avulſâ, non deficere alteram: ſed vel ſubpullulare & ſubnaſci novam, vel quæ alioquin jacuiſſet, augeſcere, quaſi corrivatis ad eam amplificandam viribus appetitus, ad aliam cupiditatem non impenſis.* Sed, nummos, pecora & hujuſmodi haud incuriosè ſupputamus, hanc autem voluntatis ſuperfœtationem planè ſtupendam, quaſi noſtrâ nihil referat, quot & qualia ſint deſideria, omninò negligimus, & in immenſum creſcere permittimus.

Quòd ſi, ſpectatâ deſideriorum inſtabilitate, viciſſitudine & contrarietate, homo ſibi ſit diverſus, quemlibet à quovis alio differre quid mirum? *Trahit ſua quemque voluptas.* Quod vitæ genus ſectatur aliquis non eſt, quod ab alio non vel prorsùs rejicitur vel ex parte condemnatur. Ea eſt voluntatis hominis cujuſque quaſi ἰδιοσυγκρασία, ut quod ipſi quadrat accuratè, alterius voluntati haud reſpondeat ad amuſſim. Eſt enim cujuſq; ſingularis hominis voluntas veluti ſera, quam clavis quæ reſerat, aliam

aliam nullam reſerare potis eſt. Ut Angelus ab Angelo, ex ſententiâ *Aquinatis*, 1.q.50. Artic.4. ita integrum cujuſq; voluntatis inſtitutum, ab integro quovis alterius voluntatis inſtituto, *Specie* differre videtur.

Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat, ſub ſole recenti,
Rugoſum piper, & pollentis grana cumini :
Hic Satur irriguo mavult turgeſcere ſomno :
Hic campo indulget, hunc alea decoquit : ille
In venerem eſt putris.

Inter appetitus autem, qui ad *fœlicitatem* terminatur, potiſſimam conſiderationem facilè meretur, quoniam fœlicitas eſt hominis *finis ultimus*, τέλειον τέλος, (ut loquitur *Ariſtoteles*) *ſummum bonum* ſeu *Perfectio*, ἔσχατον ὀρεκτῶν, *appetendorum extremum*. Prætereà à fœlicitatis deſiderio cætera omnia profluunt deſideria. Quicquid enim præter *fœlicitatem* deſideramus, illud, ut eam conſequamur, deſideramus, quia ab *ultimi finis* appetitu proficiſcitur appetitus reliquorum ; quo ſenſu πάντες εἰς ἓν ἀποτέλεσμα συνεργοῦμεν, ut docet *Marcus Antoninus*, L.6. *Quicquid aliud* (ait *Auguſtinus*, l.13.de Trinit.) *quiſque latenter velit, ab hâc voluntate*

tate [quâ fœlicitas ſcilicet expetitur] *quæ omnibus ſatis nota eſt, non recedit. Omnis mortalium cura* (inquit *Boëtius*, Conſol. Philoſoph.l.3.) *quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diverſo quidem calle procedit, ſed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire.* Denique, fœlicitatis appetitus *Græcis* & *Barbaris*, *Chriſtianis* & *Ethnicis*, *Nobilibus* & *ignobilibus*, *Principibus* & *Subditis*, *opulentis* & *egenis*, *probis* & *improbis*, &, ut verbo dicam, *omnibus* communis eſt. *Omnium certa ſententia eſt* (*Auguſtino* obſervante, L.X. de Civitate, c. 1.) *qui ratione quoquo modo uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle.* Quemadmodùm, etſi varia ſint & ſibi repugnantia hominum judicia, inter ipſos tamen de *Principiis* convenit: ita, quamvis deſideria ſint multa & ſibi contraria, quibus homines ultrò citróque jactantur, in appetitu tamen *finis ultimi*, qui in re morali *Principium* eſt, ſummus eſt conſenſus ſummáque concordia. Deſideria ſunt tanquam lineæ, quibus animus ad ſua exporrigitur objecta, (eſt enim ὄρεξις, ut eam definit *Simplicius*, ἔκτασις τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὸ ὀρεκτόν) & ut lineæ ratione punctorum circumferentiæ, ad quæ terminantur, diſſitæ, in *centro* con-

conveniunt : ita desideria respectu objectorum, ad quæ feruntur, dissidentia, in *fœlicitatis* appetitu veluti *centro* coëunt & uniuntur. Ab eodem ejusdem *metæ* desiderio inchoantur desideria & valdè diversa & prorsùs adversa : ut à *Viatoribus*, qui eundem sibi præfigunt *terminum* & ab eo moti iter capessunt, deliguntur semitæ & variæ & contrariæ.

Hic *fœlicitatis* appetitus est homini naturalis. Nam primùm, inter appetitus, ille naturalis censeri debet, qui primus est, eò quòd ab ascititio abest quàm longissimè; sed primas obtinet *fœlicitatis* appetitus, ab eo quippè profluunt reliqui omnes, eorúmq; institutum est ac scopus, illi inservire. *Aquinas*, 1.p. q. 63. Art.5. *Cajetanus*, aliíq; *Thomistæ*, *Durandus* & *Herveus*, Angelum in primo creationis instanti peccare non potuisse docent; quod *Cajetanus* probat in hunc modum: *priùs debuit voluntas angeli operari ut natura quædam, atq; adeò necessariò, saltem quoad specificationem actus, cùm prior in voluntate sit ratio naturæ, quàm ratio voluntatis liberæ. Actu autem necessario non potest committi peccatum.* Quòd si actus primus ordine durationis sit naturalis, multò magis

gis naturalis eſt, qui primus eſt ordine & durationis & naturæ. Atqui talis actus eſt *beatitudinis* deſiderium, quoniam quicquid id eſt, quod præter *beatitudinem* expetimus, idcircò expetimus, ut, quam deperimus, *beatitudinem* aſſequamur; atq; hunc ordinem poſtulat ipſa natura, quia lege naturæ, appetitus *finis ultimi*, appetitui *mediorum* omnium, è quorum numero ſunt & omnes *fines ſubordinati*, prævius eſt. *Ab initio fuit ſic*, [quod repudii libello haudquaquàm competebat, Matth.c.19. v.8.] eſt, & erit in ſæcula ſæculorum. Secundò, quòd *fœlicitatis* appetitus ſit naturalis, ipſius univerſalitas longè ampliſſima facilè demonſtrat. Nam, à quo rei univerſalitas, ab eo & res ipſa proficiſcitur: Hujus autem appetitus univerſalitatem à naturâ profluere quis inficiabitur? Aut enim à conſuetudine & educatione, aut à vitio, aut à virtute, aut deniquè à naturâ ſuam trahit originem. Conſuetudini verò & educationi hanc generalitatem non debemus, quoniam unus & idem fœlicitatis appetitus viget apud omnes, quorum tamen non una conſuetudo, & educatio non eſt eadem; nec vitio, quia beatitudinem depereunt vel optimi; nec virtuti,

eandem

eandem quippè desiderant & nequissimi. Ut igitur à naturâ promanet, necesse est. Quòd si quis omnes homines peccare, peccatum tamen homini haud esse naturale, dicat; ac propterea *fœlicitatis* appetitum, quamvis omnibus sit communis, hoc nomine tamen homini non esse naturalem contendat: Omnes quidem homines peccare non diffitemur, sed peccatis alii aliis sunt addicti; alii in hæc vitia, alii in diversa, alii in contraria prolabuntur. Appetitus autem *fœlicitatis* est unius atq; ejusdem rationis apud omnes, etsi objecta, in quibus homines suam collocant *fœlicitatem* & à quibus ipsam derivare sperant & conantur, sint longè diversissima. Quocircà, cùm alia sit peccati universalitas, appetitus *fœlicitatis* alia; quamvis ex illâ peccatum esse naturale non rectè concludatur, ex hâc tamen *fœlicitatis* appetitum esse naturalem, quidni demonstremus? Nam, si omnes homines peccarent unum atq; idem *specie* peccatum, istud homini esse naturale foret manifestum; quamobrèm, fœlicitatis *appetitum* esse naturalem liquidò constat, quoniam *specie* unus est & idem apud omnes, qualescunque sint, & undecunque *fœlicitatem* studeant elicere Tertiò, τὸ *esse*, est *fœlicitate*

licitate minùs amabile, quoniam non aliter desiderabile est, quàm quatenùs *fœlicitatis* quoquo modo capax est. De entis bonitate rixentur *Metaphysici*, eámq; *beatitudinis impossibilitati* & *certitudini miseriæ* conjunctam eò usq; prædicent *Calvinistæ*, ut ipsam *non-entitati* præferant; sobrius tamen *esse* non vult, nisi ut sibi *benè sit*, seu ut sit *beatus*; & prudens τὸ *esse* omni possibilitate *fœlicitatis* nudatum, amore suo non dignatur; & *transcendentalis bonitas inevitabiliter misera* dementi tantùm, si cuiquam, placet & arridet. Verùm, desiderare τὸ *esse*, est naturale, ac proindè & *fœlicitatem* desiderare naturale est. Si enim quod minùs est amabile, desiderare, sit naturale, & naturale est desiderare illud magis amabile, à quo minùs amabile suam omnem mutuatur amabilitatem. Quartò, quod citra deliberationem & peccatum desideratur, naturaliter desideratur. Absq; deliberatione quidpiam appetere, cùm ad istud appetendum à naturâ non impellimur, temeritatis est; aliàs quid opus est rationem ad consilium vocare? cùm autem naturæ impetu ad aliquid desiderandum incitamur, nec illud desiderando peccamus, nec ut deliberationem desiderio

præ-

præmittamus, neceſſarium eſt, quoniam quid ſit appetendum jam determinavit ipſa natura, ita ut, ſi ratio deliberando id ipſum determinaret, actum ageret. Deliberatio, naturâ ſilente, neceſſaria, jubente, ſuperflua eſt. Jam verò *fœlicitatem* deſiderant ad unum omnes,& nemini vitio vertitur hic appetitus; de eâ tamen appetendâ nunquam inſtituitur deliberatio.

Imò, voluntati adeò naturalis eſt hic appetitus, ut nihil ſuprà. Ut *principiis* adſentire, intellectui: ita finem ultimum depetire, voluntati ſummè naturale eſt. Virtutibus valedicere, vitia derelinquere, opes profundere, honores contemnere, valetudinem peſſundare, & vitam ipſam prodigere poſſumus: ſed *fœlicitatis* appetitus naturæ adeò firmiter adhæret, ut eum, niſi & naturam excutiamus, excutere nequeamus. *Fælicitas eſt* (inquit *Juſtus Lipſius*, Manuduct. ad Stoic. Philoſoph.l. 2. c. 13.) *quò vota noſtra eunt, parentum ducunt: omnes homines, omnis ſexus,*

——navibus atque
Quadrigis petimus benè vivere. Horat.

Bonum

Bonum est (ait *Boëtius*, lib. suprà citat.) *quod tam diversis studiis homines petunt: in quo quanta sit naturæ vis, facilè monstratur, cùm licèt variæ dissidentesq; sententiæ, tamen in deligendo boni fine consentiunt.*

Appetimus autem fœlicitatem, τὸ κοινὸν ἐφετὸν (ut loquitur *Simplicius* in Enchi. *Epict.* c. 72.) appetitu cùm *non-elicito*, tum *elicito*, ille capacitas est, & propensio ad fœlicitatem; gravitati, quâ lapis deorsum inclinatur, respondet; & non tantùm *naturalis* est, verùm etiam *necessarius* & *summus*. *Elicitus*, motui, quo lapis fertur ad locum inferiorem, haud absimilis est; *necessarius* est quoad *specificationem*, non *exercitium*; & *summus*, ut plurimùm *intensivè*, semper *appretiativè*.

Aphorismus secundus.

Homo naturaliter abhorret à miseriâ.

IN miseriâ nihil est amabile, nihil non dignum odio longè maximo: ipsam cuncti detestantur, idq; naturaliter; quod, argumenta, primum, secundum & quartum, quibus appetitum fœlicitatis esse naturalem paulò

paulò anteà demonstravimus, probare possunt. Nam odium miseriæ, odio quovis alio prius est. Quicquid enim præter miseriam detestamur, istud ideò detestamur, quia ad reddendos nos miseros facit aliquatenùs; omnésq; tam improbi quàm probi, qualiscunq; fuerit educatio, miseriam abominantur; illamq; & citra deliberationem & absq; peccato, gravissimo prosequuntur odio. Deniq; ut hunc Aphorismum paucis absolvamus, cùm motus ad terminum *ad quem* naturalis est, & motus à termino *à quo*, illi opposito, naturalis est: verùm beatitudinis appetitus, est motus ad eam, ut terminum *ad quem*, & odium miseriæ, motus ab eâ, ut termino *à quo*; ac proindè, ut ille naturalis est, ita & hoc quoque naturale. Et quidem odium est amoris propago. Idcircò quippè abhorremus à miseriâ, quoniam fœlicitatem deperimus: quemadmodùm corpora gravia impetu naturæ à loco superiori recedunt, quia ejusdem impetu accedunt ad inferiorem: aut quemadmodùm aqua à calore naturaliter abhorret, quoniam frigus appetit naturaliter.

Aphorismus tertius.

Est in hominis potestate fœlicitatem adipisci & miseriam devitare.

QUorsùm hic beatitudinis appetitus, hoc miseriæ odium, si natura non sit viribus instructa, quibus id consequatur, ad quod propendet, & effugiat, quod aversatur? Frustrà est appetitus ad impossibilia terminatus, & planè supervacaneum desiderium, quod rebus impenditur, quæ potestati nostræ haud magis sunt obnoxiæ, quàm vel ex arenâ nectere funiculum, vel *Æthiopem* dealbare. Ut natura nihil agit frustà: ita nec frustrà appetit nec frustrà aversatur. Quod si aliter de naturâ sentiamus, ejus *Authorem* quoq; causemur necesse est. Cùm enim ab *Authore* naturæ proficiscantur naturalis appetitus & odium, si hæc viribus sint majora, aut naturæ vel potentiam augere vel appetitum & odium imminuere non posse, aut inæqualitatem ignorare, aut deniq; hanc inæqualitatem consultò & de industriâ velle, statuendum est: quorum primum Divinæ potentiæ, secundum scientiæ, tertium bonitati repugnat. *Quàm*

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci?

Conjunctio appetitus & odii cum impotentiâ adipiscendi quod appetimus, & effugiendi quod aversamur, nulli inservit usui, nisi ut homo sit naturaliter miser, quoniam miseri sunt qui non consequuntur quod volunt, & incidunt in id quod nolunt, aut omninò nulla est miseria, ut posteà declarabitur. Deum verò talem hominem condere, qualis naturaliter non nisi miser esse potest, cogitare, infinito amori, quo universum genus humanum prosequitur, quémq; alibi fusiùs demonstravimus, è diametro adversatur. Prætereà, quæ naturaliter appetimus, eorum appetitionem probat ratio, &, ut ea consequi conemur, jubet. τῷ λογικῷ ζώῳ (inquit *M. Antoninus*, l.7.n. X.) ἡ αὐτὴ πρᾶξις κατὰ φύσιν ἐστὶ, καὶ κατὰ λόγον. hoc est, *Ratione prædito animali eadem actio & secundùm naturam est, & secundùm rationem:* verùm, impossibilium desiderium prohibet ratio, eáq; judice, istorum adeptionem moliri est pura puta vesania. Deniq; secundùm naturam vivendum est, μηδὲν μέγα φαντάζου, (ut præcipit *M. Antoninus*

toninus

toninus, l.12.) ἢ τὸ ὡς μὲν ἡ σὴ φύσις ἄγει, ποιεῖν, πάσχειν, δὲ ὡς ἡ κοινὴ φύσις φέρει, hoc eſt, *nihil animo magnum concipe niſi hoc tantùm, ut quicquid ages, ductu naturæ agas; & feras quæcunq; fert communis natura.* Verùm, hoc alibi oſtendemus. Si itaq; natura appetitu ſuo feratur ad impoſſibilia, talibus omnia noſtra deſideria impendere licet; hoc enim eſt naturam imitari: atq; ita, tota noſtra vita, quamvis è lege naturæ inſtituta, eſt fruſtratio conſtans & perpetua. Fames, quâ plura appetuntur alimenta, quàm quibus edomandis & in chylum convertendis, ventriculus ſatis eſt, non naturalis eſt, ſed morboſa. Quod nos edocet, à naturâ alienum eſſe, appetere quæ ſunt impoſſibilia. Iſta quippe ſuperare neſcit, ex iiſq; benignum fruitionis ſuccum, quo nutriatur anima, elicere non poteſt. Ἀρκεῖται πᾶσα φύσις ἑαυτῇ εὐοδούσῃ, hoc eſt, *unaquæque natura, ſi rectâ viâ ingrediatur, ſibi ipſi ſufficit*, ut docet *Marcus Antoninus*, l. 8. *Neque enim* (inquit *Auguſtinus*, l.4. contra *Julianum*, c.3.) *omnes homines naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus.* Ut Silicernii & juvenculæ: ita appetitus & impotentiæ comparandi id quod appetitur, conjugium eſt in-

infæcundum & ſterile. Nec adoleſcentulæ ſenex capularis, nec appetitui convenit impotentia. Nuptias tam infructuoſas, infœlices & à ratione alienas, laudet mente captus; eas certè non homo prudens, multò minùs ipſeDeus celebrare dignabitur. Quamobrèm cùm homo naturaliter & fœlicitatem deſideret & abhorreat à miſeriâ; & illam adipiſci & hanc devitare potis eſt: quemadmodùm & cæteræ res omnes eò pervenire queunt, quò naturaliter propendent & inclinantur.

Beatitudine quidem vix quidpiam rarius, & miſeriâ nihil frequentius; verùm temerè vel Deum cauſamur, vel naturam incuſamus. Quiſq; ſibi ſuum debet infortunium. Miſeri ſumus non quia non poſſumus eſſe beati, ſed quia pravè aut volendo aut nolendo, nobis, ut [illegible], aut [illegible] χαράδραν. calamitatem accerſimus, ut in *Animi Medelâ* fuſiuſculè demonſtratum eſt. Τὸ θεῖον, (inquit ipſe *Epicurus*, referente *Salluſtio Philos, c.9.*) οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὐδὲ ἄλλοις παρέχει, hoc eſt, *numen neque ſibi, neque aliis moleſtiæ eſt*. Quocircà nec ærumnas ſibi creat natura, eſt enim, teſte *Senecâ*, de Benefic. *divina ratio toti mundo partibuſq;*

ejus inserta, vel, ut loquitur *Hugo*, *quædam vis & potentia divinitùs rebus insita.* Homines interdùm appetunt ἀδύνατα, natura nunquam; sed virium limitibus suos omnes circumscribit appetitus; odiúmq; suum intra cancellos potestatis coërcet.

Ut autem appetitus & odium frustra sunt, si adipiscendi & effugiendi potestate destituantur: Ita & frustrà est hæc ipsa potestas, nisi ad actum perducatur. Quod quomodò fiat, nos proximus edocebit Aphorismus.

APHORISMUS quartus.

Ut potestas fœlicitatem consequendi & miseriam devitandi, ad actum perducatur, satis est certò, cùm ea, quæ volumus consequi & retinere, consequi & retinere; cùm in ea, in quæ nolumus incidere, non incidere.

IN quo posita sit formalis ratio beatitudinis non anxiè disputamus: extiteru nt atque etiamnum extant hâc de re complures controversiæ, quas nunc temporis missas facimus.

inus. Præſenti inſtituto abundè ſufficit, illum beatum eſſe, qui cum ſecuritate & voti ſui compos eſt, & in id quod ſtudet effugere, non prolabitur. Ita ſentiuut omnes, & meritò. Quid enim ultra ſtatum illum, in quo rebus deſideratis certò fruimur, & exoſas certò itidem devitamus, reſtat appetendum? Eò cùm pervenimus, dolor omnis ac metus procul exulant, adeſt tranquillitas, præſtò eſt gaudium, ſatiamur, replemur, ſeu, quod fœlicitati undiquaque abſolutæ & perfectæ deſit, ingenium vel feraciſſimum comminiſci nequit. Τὸ γὰρ εὐδαιμονοῦν (ut docet *Arrianus*, l.3.c.24.) ἀπέχειν δεῖ πάντα ἃ θέλει, πεπληρωμένῳ τινὶ ἐοικέναι· οὐ δίψος δεῖ προσεῖναι αὐτῷ, οὐ λιμόν, hoc eſt, *quod enim beatum eſt, ſecum habere oportet omnia quæ vult: ſimile eſſe repleto: abeſſe oportet ſitim, abeſſe famem.* Πάντες (inquit *Simplicius* in *Epictet.* Enchir.c.6.) καὶ οἱ σπουδαῖοι καὶ οἱ μοχθηροὶ ζῶντες, ἐν τούτῳ τίθενται τὴν εὐδαιμονίαν, ἐν τῷ τῶν μὲν ὀρεκτῶν αὐτοῖς, καὶ ἐφετῶν τυγχάνειν· τοῖς δὲ ἀνεπιθέτοις καὶ φευκτοῖς μὴ περιπίπτειν, id eſt, *omnes tam boni quàm mali, fœlicitatem in eo collocant, ſi & optatis ſuis fruantur, & ea quæ oderunt effugiant.* Et *Epictetus* ipſe, Enchirid. c. 13. ita monet: Μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε γίνεσθαι τὰ γινόμενα ὡς γίνεται, καὶ εὐροήσεις. Quæ verba reddit *Po-*

 litianus:

Politianus: Nè velis quæ fiunt, fieri ut vis: ſed velis quæ fiunt, ut fiunt, & proſper eris. Concinit his *Origenes* contra *Celſum*: Hominis τελειότης (inquit) eſt ἀεὶ εἶναι ἃ βούλεται, καὶ γίνεσθαι ἐν οἷς βούλεται· Quicquid expetis, habes; quicquid averſaris, devitas; & cum certitudine & habes & devitas; quod igitur inſuper velis, reliquum non eſt. Beatum itaq; te prædico, aut omnibus in æternum de beatitudine planè deſperandum eſt. Ad fœlicitatem nihil attinet vel habere plura, quàm quæ deſideramus, vel plura devitare, quàm quæ devitare ſtudemus; ſed certò & habendo quæcunque volumus, & devitando quæcunq; nolumus, ad altum & ſublime beatitudinis ſolium provehimur, in eóque collocamur; ubi luctus, timoris & cæterarum perturbationum expertes, gaudio ſincero, ſtabili, perenni, coronamur, perfundimur, replemur. Replemur (inquam) & ad *ebrietatem perpetuam*, qualis à *Platone*, 2. de Republ. præmium juſtitiæ conſtituitur, quali nos *inebriare* debent *ubera mulieris adoleſcentiæ noſtræ.* Prov.c. 5. v. 19. qualem ubertas domus Dei inducit. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Pſalm. 35.v.9.

Hanc

Hanc autem particulam, *cèrto*, non citra necessitatem Aphorismo inseruimus, quoniam incertitudo sive adipiscendi & retinendi, quod adipisci & retinere desideramus, sivè devitandi quod devitare volumus; sivè continuandi devitationem, cujus continuationem expetimus, metum secum adferat necesse est. Securitate verò gaudet fælicitas: illi metus adversatur. *Quid est beata vita?* (quærit *Seneca*, Epist. 92. & respondet ipse) *Securitas & perpetua tranquillitas.* Deniq; illam particulam adjiciendo, definitiones & *Augustini* & *Isidori* complectimur. Nam, secundùm *Augustinum* de Spirit. & Liter. *ille beatus est, qui omnia quæ vult, habet, nec aliquid vult, quod non decet*; & juxta *Isidorum* : *Beatus dicitur, quasi benè habitus, scilicet ab habendo quod vellet, & nihil patiendo quod nollet. Ille enim verè beatus, qui habet omnia quæ vult, & nihil vult malè.* Has (inquam) *Beati* definitiones, addendo particulam, *certò*, complectimur, quia solus ille certò adipiscitur & retinet, quod adipisci & retinere desiderat, certóq; devitat, quod devitare conatur, & certò devitationis continuationem, quam exoptat, assequitur, qui nihil malè vult, seu qui nihil vult,

quod non decet, ut infrà demonſtrabitur.

Aphorismus quintus.

Certò adipiſcimur & retinemus, quæ adipiſci & retinere volumus, certoq; in ea non incidimus, in quæ incidere nolumus, ſi adipiſci & retinere velimus, quæ adipiſci & retinere certò penes nos eſt, & in ea incidere nolimus, quæ divitare, certò itidem penes nos eſt.

QUod enim quis adipiſci & retinere & vult & certò poteſt, id ipſum certò adipiſcitur & retinet ; & quod devitare & vult & certò poteſt, id certò devitat. Impotentiâ ſolâ voluntas fine ſuo fruſtratur. Virium & voluntatis coitus haud ſterilis eſt; cum eventus optatus nunquam non ſequitur.

Apho-

Aphorismus sextus.

Quæ certò adipiſci & retinere poſſumus, adipiſci & retinere velle, atq; in ea, quæ devitare certò poſſumus, incidere nolle debemus.

CUm inſtinctu planè naturali fœlicitatem depereamus, ut infallibiliter ad ipſam perveniamus ſummoperè adnitendum eſt; ac propterea, eligenda eſt via, quâ ad eam certò perducamur. Hæc autem via eſt, quæ certò adipiſci & retinere poſſumus, adipiſci & retinere velle, & ea nolle, quæ certò devitare poſſumus; quoniam illa volendo & hæc nolendo, omni procul dubio & quod volumus, conſequimur & retinemus, & in id, quod nolumus, non incidimus, ſeu quod eodèm recidit, beati ſumus. Μέμνησο (inquit *Epictetus*, Enchirid. c. 6.) ὅτι ὀρέξεως μὲν ἐπαγγελία ἐστὶν ἐπιτυχία οὗ ὀρέγῃ, ἐκκλίσεως δ' ἐπαγγελία τὸ μὴ περιπεσεῖν ἐκείνῳ ὃ ἐκκλίνεται, hoc eſt, *Appetitionis enim finem eſſe memento, ut id quod appetis, conſequare: averſationis, nè in id incidas, quod averſaris.* Quamobrèm, ut ad fines ὀρέξεως & ἐκκλίσεως certò perveniamus

appeti-

appetitioni & aversationi, consideratio potentiæ consequendi & devitandi, præmittenda est, ut nostræ potentiæ limitibus appetitio & aversatio circumscribantur & definiantur; aliàs vel frustratione, cùm scilicèt impossibilia, vel frustrationis metu, cùm scilicet aut appetimus aut aversamur incerta, plectimur, affligimur, torquemur, ut posteà ostendemus.

Hæc ad fœlicitatem methodus non tantùm certa est & unica, (ut modò dictum est) verùm etiam facilis & brevis. Facilis, quid enim facilius est quàm ea, quæ consequi & retinere possumus, consequi & retinere velle? quàm ea, quæ nos consequi & retinere non posse aut certum est aut dubium, consequi & retinere non velle? quàm denique non velle effugere, quæ nos effugere posse vel impossibile est vel incertum? Non est quòd de difficultate vel minimâ conqueramur, cùm libera sit voluntas & actionum suarum Domina. Brevis est & hæc methodus, quoniam ipsi soli adhærendo, innumerabilia penè desideria, quæ vulgò ad objecta aut manifestò impossibilia aut ad summum incerta, extendi solent, amputantur ut inutilia, ut periculosa, ut

noxia;

noxia; eáque pervenimus ad τὸ ἀναμφιβόλως ἀκύβευτον, quod *Marcus Antoninus* ab *Apollonio*, l. 1. n. 8. se didicisse, & *Claudius Salmasius*, in suâ ad *Thomam Gatakerum* Epistolâ, *in eo esse, qui nihil aggreditur, nisi cujus certus futurus est eventus*, testantur.

Aphorismus septimus.

Quæ consequi & retinere certò possumus, ea sunt multa, magna, præclara; quæque devitare certò penes nos est, turpia sunt, inhonesta veréque mala.

Quamvis voluntas ad ea tantùm, quæ consequi & retinere certò potest homo, appetendum, & ad ea solùm aversandum, quæ certò devitare potis est, lege cùm naturæ cùm rationis obligetur; ad ea tamen, quæ nec pauca sunt, nec exigua, nec vilia, restringitur. Voluntati intra potestatis terminos sese continenti, varia sunt illustria & magnifica, quibus admodùm generosè seipsam occupare licet. *Deus, si vim spectes,*

ſpectes, valentiſſimus: ſi decorem, formoſiſſimus: ſi vitam, immortalis: deniquè ſi virtutem, præſtantiſſimus eſt, ut docet Princeps Philoſophorum, Lib. de Mundo. c.6. Eſt ens optimum, maximum, ejuſq; tanta eſt excellentia, quantam finitus noſter intellectus neſcit comprehendere, quanta, etiamſi nec ulla largiretur bona, nec ulla infligeret mala, nec res humanas omninò curaret, cultum tamen meretur & ad ſui reverentiam, vel *Epicuro* judice, homines obligat. Eum exiſtere, cunctaque ſapientiſſimè & juſtiſſimè adminiſtrare, poſſumus agnoſcere. *Numen cœleſte rerum humanarum curam gerit; nec univerſi tantummodò, ſed hominum etiam ſingulorum; rebus humanis præſtò eſt.* Vide *Epictetum* apud *Arrian.* l. 1.c.12,14,16. *Antoninum*, l.2. & 6. Hæc probant illi & alii, & paſſim inculcant. Qui ſecùs de *Philoſophis* melioris notæ ſentit, illos adeat, illorum hâc de re ſcripta conſulat, & mentem corrigat. Quòd ſi *Ethnici* lumine naturæ ſolius Deum agnoverint, eum eſſe & optimum & maximum crediderint, omniáq; & ſingula rectiſſimè ac prudentiſſimè moderari exiſtimârint; quid vetat quò minùs eadem præſtemus & ipſi? Quapropter Deo, amore

maximo

maximo adhærere poſſumus. Deus eſt per omnia cogitandus. Oportet, Ἐκ πράξεως ἐπὶ πρᾶξιν μεταβαίνειν σὺν μνήμῃ Θεοῦ, Antonin. l.6. In omnibus agnoſcendus. οὔτε γὰρ ἀνθρώπινόν τι ἄνευ τῆς ἐπὶ τὰ θεῖα συναναφορᾶς εὖ πράξεις, οὔτε ἔμπαλιν, Idem L.3. Ad omnia invocandus. Ἐφ' ἅπασι δὲ Θεοὺς ἐπικαλοῦ, L.6. Καὶ πᾶν καὶ τὸ μικρότατον οὕτω ποιεῖν, L. 3. Ante omnia colendus, τί ἀρκεῖ ἄλλο, ἢ Θεοὺς μὲν σέβειν καὶ εὐφημεῖν, ἀνθρώπους δὲ εὐποιεῖν, L. 5. Ipſa lex gratitudinis amorem poſtulat. Deus enim generi humano, non ad bona verè ſic dicta duntaxat, ſed & ad hujus vitæ commoda & adminicula ſuppetias fert, ut *Antoninus*, L. 1. & 9. jamdudùm obſervavit. *Nemo unquam vir magnus ſine aliquo afflatu divino fuit*, *Cicero*, l. 2. de Naturâ Deorum. *Inſita ſunt* (inquit *Seneca*, Epiſt.92.) *omnium artium nobis ſemina, magiſtérq; ex occulto Deus producit ingenia. Quis dubitare poteſt, Mi Lucili, quin Deorum immortalium munus ſit, quòd vivimus.* Idem ad *Lucil.* Rursùs, Epiſtol. modò citatâ, *Deus quidem munera univerſo humano generi dedit, à quibus nemo excluditur.* Aut ingratitudo naturalis eſt, aut viribus naturæ Deum, à quo omnia mutuamur, amare poſſumus. Et quidem, ut quod nobis videtur bonum, amare, ita quod nobis videtur

tur optimum, super omnia amare penes nos est. *Omne illud* (inquit *Robertus Holkot* in 1. Sentent. q. 4.) *quod intellectus humanus ex suis naturalibus potest credere esse summè diligendum, potest ex suis naturalibus summè diligere, quia irrationale omninò videtur quod homo crederet aliquid esse ab eo diligendum, & tamen quòd non posset illud summè diligere: cùm nihil sit magis in potestate hominis, quàm ipsa voluntas, ut habetur de liber. Arbitr. c.3. sed Deus est hujusmodi: quia intellectus humanus potest eum credere sivè veraciter sivè erroneè esse summè diligendum & hoc ex solis naturalibus, id est, sine quocunq; habitu supernaturali. Ergò & cæt. Majorem probo, nam possibile est quòd aliquis assentiat alicui narranti de Deo quia ipse est creator omnium & conservator continuus & optimus & per consequens summè diligendus. Possibile est ergò istum Deum summè diligere, nec oportet quòd aliquem habitum sibi Deus infundat. Ergò potest eum diligere super omnia sine habitu.* Quòd si Deum super omnia amemus, quæcunq; ab ipso vetantur, qualia sunt opera omnia prava, inhonesta & turpia, devitamus; & quæ ab eo mandantur, ut sunt omnes actiones

ones bonæ, honeſtæ & pulchræ, præſtamus, & inter alias, quæcunq; à Deo fiunt, approbamus, hoc eſt, volumus ut res ſint, ut ſunt. Objectum longè præſtantiſſimum nobis intellectu unitur, & nos illi voluntate conjungimur. Duplex hæc connexio, vitiorum fugam & extirpationem requirit & facit; ac integritatem vitæ deſiderat & præſtat. Summatim, Deum agnoſcendo, & ſincero cordis affectu, ſuper omnia diligendo, ſumus ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν, *præſentibus contenti*, [Hebr. c.13. v.5.] non de futuris ſoliciti; imò, vitiis quibuſcunq; valedicentes & quodvis opus bonum amplexantes, Deum & rationem ſequimur; quod omnia vitæ officia complectitur, & jubet *Marcus Antoninus* L. 12. aliiq; Philoſophi inſigniores, nobis ut finem hominis commendant. Deum verò & rationem ſequi, idem eſt. ταὐτόν ἐστι τὸ ἕπεσθαι Θεῷ καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, ut docet *Plutarchus* de Audiend.

Ex actionibus verò bonis duæ ſunt, nempe pro bonis actionibus præſtitis & malis devitatis, gratiarum actio, & inimicorum dilectio, quas obſervatione ſingulari dignas arbitramur. Illa quippe actiones bonas præſtare & malas devitare, in poteſtate

potestate nostrâ haud situm esse, probare videtur; quoniam si in nobis situm sit benè agere & peccatum effugere, cur pro alterutro Deo gratias ageremus, cùm ei tantùm gratias debeamus, cujus liberalitate & potentiâ, quod non meremur, bonum accipimus? Hæc autem, dilectio scilicet inimicorum, àdeò dura & difficilis, carni & sanguini adeò adversa videtur, ut ad eam eliciendam naturæ vires haud quaquàm sufficere existiment plerique.

Quod ad priorem spectat, *Epictetum* apud *Arrianum*, L.4.c.4. consulamus. τότε (inquit) καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον, νῦν δ' οὐκέτι, χάρις τῷ Θεῷ. *Tunc & ego peccabam: nunc verò non item, gratia sit Deo.* Rursùs: σήμερον ὁρμῇ ἐχρησάμην ὡς παραγγέλλεται ὑπὸ τῶν φιλοσόφων, ὀρέξει οὐκ ἐχρησάμην, ἐκκλίσει πρὸς μόνα τὰ προαιρετικά· οὐ κατεπλάγην τὸν δεῖνα, οὐκ ἐδυσωπήθην ὑπὸ τοῦ δεῖνος· τὸ ἀνεκτικὸν ἐγύμνασα, τὸ ἀφεκτικόν, τὸ συνεργητικόν· καὶ ὅτως ἂν ηὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ἐφ' οἷς δεῖ εὐχαριστεῖν, id est, *hodiè sic usus sum appetitione ut à philosophis præcipitur: appetitu non usus sum in rebus alieni juris. declinatione in iis solis, quæ nostri arbitrii sunt: non extimui illum, ab illo non illectus sum: tolerantiam exercui, abstinentiam, beneficentiam. Sic ob ea gratias ageremus Deo, ob quæ gratiæ illi sunt agendæ.*

Voces

Voces audîsti dignas satis *Christiano* vel pientissimo? Idcircò verò propter actiones bonas & peccati devitationem, etiamsi in nostrâ potestate sint, Deo gratias agere debemus, quia primùm illam ipsam potestatem à Deo accepimus; quo nomine cùm propter ipsam tum propter omne bonum, quod indè profluit, Deo gratiæ sunt agendæ. Secundò, quoniam Deus nobis varia suppeditat auxilia, quibus bonas actiones edamus & malas effugiamus. Unde duplex exurgit munus: alterum orandi Deum ut auxilia concedat vel concessa præservet & augeat: alterum gratias agendi & propter auxilia & propter fructus saluberrimos inde promanantes. Qui à Deo petit auxilia quibus bonas edat actiones & malas devitet, & vi auxiliorum impetratorum & illas edit & has devitat; cùm propter illas præstitas tum propter harum fugam, Deo, gratias quàm humillimas reddere tenetur. *Nonnè ergò* (inquit *Marcus Antoninus*) *præstat te iis quæ in potestate tuâ sunt, uti liberè, quàm de iis quæ non sunt in manu tuâ posita, solicitum esse, animo servili & abjecto? Quis*

Quis autem tibi dixit, Deos non in his etiam, quæ penès nos sunt, auxilium adferre? incipe ergò precari de his, & videbis. Precatur alius, ut cum aliquâ cubet; Tu pete nè ejus rei appetitus tibi oriatur: alius petit, ut certâ re levetur; Tu, nè eâ levari tibi opus sit: alius, nè amittat filium; Tu, nè id ipsum metuas. Monita prorsùs Divina! Orandus est Deus, ut nostra desideria tollere, non illis satisfacere, dignetur. Sed, ad dilectionem inimicorum festinamus.

Qui vulgò censentur inimici, sunt qui bonis fortunæ & corporis nos aut orbant aut orbare conantur. Hos amare facile est, si corporis & fortunæ bona haud depereamus. Quid autem vetat quò minùs ista caduca amore nostro dignari recusemus? Quidni illum diligamus, quem nobis, non nisi quæ flocci facimus, surripuisse putamus? sed inimicos comminiscamur, quibus, ut evadamus improbi, in votis est; & illos quoquè diligere difficile non est, si illorum pravitatem nos minimè lædere, seu nos pravos non efficere, paulò attentiùs consideremus. Tollatur periculum lædendi, & omnis amandi difficultas protinùs evanescit. Καὶ γὰρ τῶν (inquit *Epictetus* apud *Arrian.* L. 3. c. 22.)

λίαν

λίαν κομψὸν τῷ κυνικῷ παραπέπλεκται, δαίρεσθαι δεῖ αὐτὸν, ὡς ὄνον καὶ δαιρόμενον φιλεῖν αὐτοὺς τοὺς δαίροντας, ὡς πατέρα πάντων, ὡς ἀδελφόν. *Nam & hoc perquàm festivè Cynico adjunctum est, ut instar asini vapulet: & dum vapulat, eos, â quibus verberatur, diligat, tanquam pater omnium, tanquam frater.* Ἓν ὧδε πολλοῦ ἄξιον, τὸ μετ' ἀληθείας καὶ δικαιοσύνης εὐμενῆ τοῖς ψεύσταις καὶ ἀδίκοις διαβιοῦν. *Unum hoc summi est pretii, veritate & justitiâ servatâ, mendacibus & injuriis hominibus placidum* [benevolum, amicum] *vivere.* Ita docet *Antoninus* Imperator & Philosophus nunquàm satis laudatus.

Vides, lector, bonitatis fontem, immensum perfectionis & excellentiæ oceanum, Deum, quem depereas; complura, quæ admodùm generoso prosequaris odio, vitia, nè facultas aversandi de otio conquereretur; permultos actus, nobiles, sublimes, heroicos, quibus temet ipsum potes exercere, ornare, oblectare; campum longè amplissimum, in quo citra vel minimum frustrationis periculum liberè expatiari queas.

Omnis autem certitudo consequendi, retinendi & devitandi, & vitam, & mentem illæsam præsupponit; quocircà cùm dubia sit vita, & à capitis vulneribus, phrenitide, apoplexiâ, lethargo, melancholiâ, morbisq;

aliis, quibus animus tentatur, incerta ſit immunitas, incerta eſt etiam poteſtas conſequendi, retinendi & devitandi: Verùm, hæc incertitudo fœlicitati non obeſt, quoniam vel vitæ, vel immunitatis à morbis, quibus impeditur ratio, certitudinem, eò quòd impoſſibilis eſt, ſapiens haudquaquam deſiderat. Ipſi ſatis eſt, quòd, quamdiù vivit, & ratio eſt integra, certò aſſequitur, retinet, devitat, quicquid vult aſſequi, retinere, devitare. Ad alterum ſæculum vitâ functos, ad medicos verò, eos, quibus morborum ſævitie uſus rationis interdicitur, ablegamus.

Aphorismus octavus.

Quæ in explicatione præcedentis Aphoriſmi commendantur, amplexando; & quæ ibidem improbantur, averſando, ſumus boni.

QUiſquis enim intellectu ſuo Deum, eum, ejuſq; providentiam omnia rectiſſimè prudentiſſiméq; moderantem agnoſcendo, voluntate, ipſum ſuper omnia amando, colit ac

ac veneratur; quæcunquè illius eveniunt arbitratu, probat, in iisq; plenè acquiescit; quicquid deniquè ab ipso præcipitur, observat, & quod vetatur, effugit; verè bonus est, probus & pius: ut ille reverâ malus, improbus ac impius, qui Deum aut inficiatur, aut amore suo non prosequitur; vel qui, ea quæ ab ipso fiunt, ægrè fert, (quod, *M. Antonino* judice, ἀπόστασίς ἐστι τῆς φύσεως, L. 2.) vel qui legem ab ipso latam negligit & contemnit. Sed, res adeò manifesta est, ut nec egeat argumento, nec explicationem desideret.

Aphorismus nonus.

Boni sunt fœlices.

Cùm enim boni, ea, quæ consequi & retinere certò possunt, consequi & retinere velint, & quæ devitare certò valent, devitare studeant, certò consequuntur & retinent, quæ consequi & retinere volunt, & certò devitant, quod effugere cupiunt, hoc est, sunt fœlices. Inter bonos & beatos hoc tantùm discriminis interest, quòd boni

ita nominantur, quatenùs juxta normam rectæ rationis ſuas omnes inſtituunt appetitiones & averſationes; beati verò quatenùs appetitiones & averſationes ita inſtituendo, certò & aſſequuntur & retinent, quod aſſequi & retinere ſtudent, & certò non incidunt in id quod devitare conantur; ſed bonum eſſe, & beatum, reipſâ unum eſt & idem. *Omne beatum* (inquit *Cicero*, Tuſculan. 5.) *eſt, cui nihil deeſt: & quod in ſuo genere expletum & cumulatum eſt: idque virtutis eſt proprium.* Pios omnes, quacunque ſorte ſunt, ſemper beatos eſſe probat *Salvianus*, L. 1. de provid. *Quia hoc ſunt quod volunt. Beati immaculati in viâ: tanquam diceret* (inquit *Auguſtinus* in Pſalm. 118.) *Scio quid velis, quæris beatitudinem. Si ergò vis eſſe beatus, eſto immaculatus.* Fœlicitas eſt maximus ille παροξυσμὸς ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων, *provocatio charitatis & bonorum operum*, [juxta vulg.] *quod maximè acuit ad charitatem & bona opera*, Hebr. c. 10. v. 24. Ad probitatem amplexandam quod efficacius incitamentum excogitari poteſt, quàm quòd unâ eadémq; operâ & boni ſumus, & fœlices? Hàc itur ad ἀπάθειαν virilem, ἀταραξίαν tyrannidi fortunæ non obnoxiam, εὐμάρειαν *ſuavem*,

εὔροιαν

ἐυεργιαν amabilem, ἐυδαιμονίαν, *desiderium cunctarum gentium*, Agg. c. 2. v. 8. Hàc ad non minùs securam quàm placidam mentis γαλήνην perducimur. Hàc ad mundi statum super lunam provehimur. *Pars mundi superior* (inquit *Seneca*, Epist. 59.) *& ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem; omni tumultu caret. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquillâ collocatus, modestus, venerabilis, & compositus. Et conversus Deus, ut aspiceret opera, quæ fecerunt manus suæ, vidit quòd omnia essent bona nimis: Tum sequitur Sabbatum*, ut observat longè doctissimus simul & acutissimus *Verulamius*, undecimo Sermonum Fidelium:

Monstro quod ipse tibi possis dare. Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ, Juve.

Aphorismus decimus.

Omnes homines debent esse beati.

NAm, cùm omnes homines naturaliter & fœlicitatem appetant & illam adipisci possint, ad beatè vivendum obligantur: & cùm boni sint fœlices, omnésq; debeant esse boni, debent & esse fœlices. Fœlicitas est tam

hominis officium quàm præmium. Beatitudo eſt benè vivendi merces ſatis ampla,& beatè vivere, eſt benè vivere, quod homini munus nunquam non incumbit. Quod ſi dicas in *Sacrâ Scripturâ* frequentem fieri de fœlicitate mentionem, eámq; ſæpiùs promitti ; inibi tamen nullum extare præceptum,quo ad fœlicitatem amplexandam obligamur. Reſpondemus primùm quòd natura jubet ut quæ illius impetu deſideramus (in quibus citra controverſiam fœlicitas collocanda eſt) ad ea perveniamus, aut nihil omninò jubet : Lex autem naturæ, & Dei Lex eſt ; quod illa, & Deus, illius præcipit miniſterio. Secundò, quamvis *Sacræ Literæ,in terminis terminantibus* (ut loquuntur) fœlicitatem haud præcipiant ; mandant tamen & inculcant quæ ſunt prorsùs ἰσοδυναμοῦντα. Etenim, de virtute colendâ & vitio fugiendo præcepta, quæ in *Sacra Paginâ* occurrunt quàm ſæpiſſimè, re ipſâ idem planè valent, quòd *Eſtote fœlices.* Ὅπου δήποτε (inquit *Marcus Antoninus*, L. 5. n.28,) καταληφθεὶς [ὑπὸ θανάτου ſcilict) εὔμοιρος ἄνθρωπος. τὸ δ' εὔμοιρος μοῖραν σεαυτῷ ἀπονείμας· ἀγαθαὶ δὲ μοῖραι, ἀγαθαὶ τροπαὶ ψυχῆς, ἀγαθαὶ ὁρμαί, ἀγαθαὶ πράξεις· Hoc eſt, (ut vertit *Mericus Caſaubonus*)*Qualibet horâ mors intercipiat, licet eſſe fortunatum.*

tum. Fortunatum voco, quicunque ſibi bonam fortunam fabricatur. Bona autem fortuna, boni ſunt motus animi, bonæ appetitiones, bonæ actiones. Idem, quod ut *officium* expreſſè mandatur, ut *præmium*, ſeu *fœlicitas*, itidem expreſſè promittitur. Atq; ita Deus præcipiendo pollicetur,& pollicendo præcipit. Fœlix eſt bonitas, & bona fœlicitas. Eſſe beati, naturaliter volumus, poſſumus, & debemus.

APHORISMUS undecimus.

Poteſtas beatitudinem conſequendi & miſeriam devitandi, fine ſuo fruſtratur neceſſariò, volendo conſequi & retinere, quæ cònſequi & retinere nequimus, & nolendo in illud incidere, quod devitare non poſſumus.

NAturalis appetitus fœlicitatis & odii miſeriæ,& poteſtatis illam conſequendi & hanc devitandi,finis eſt idem; eò quòd idcircò poteſtas illa conceditur, ut appetitui & odio famuletur & inſerviat: Appetitus

titus verò fœlicitatis & odii miseriæ finis est ut evadamus non-miseri, & beati, quod haud quaquàm fieri potest, si ea consequi & retinere velimus, quæ consequi & retinere non possumus, & in ea incidere nolimus, quæ nos effugere impossibile est. Ac proindè, tam potestas, quàm appetitus & odium, talia volendo & nolendo, suo fine frustratur necessariò. Quod erat demonstrandum.

APHORISMUS duodecimus.

Debemus nec velle consequi & retinere, quæ consequi & retinere non possumus, nec nolle incidere in ea, quæ devitare nequimus.

ETenim, tales actus fœlicitati, quam naturaliter desideramus, ac cònsequi & possumus & debemus, è diametro repugnant: eósq; ut prorsùs frustraneos ratio disertè prohibet. *Homo* (*inquit* Epict. *apud* Arri. *l*. 2. *c*. 23.) *institutum tuum est, ita te parare, ut visis quæ objiciuntur, ex præscripto naturæ utaris: in appetitu, nè frustreris: in aversatione, in id quod nolis ut nè incidas: nè unquàm voti*

impos

impos fias : nè unquàm adversà fortunâ utaris: ut liber sis : ut à nemine prohiberi, à nemine cogi possis : ut cum Jovis administratione congruas, huic obtemperes, neminem accuses, & versus istos ex animo dicere queas : O Jupiter fatique vis, me ducito. Impossibilia verò, sive naturâ suâ, sivè causarum & circumstantiarum concursu qualicunque talia sint, perindè est. Frustratio est eadem, undecunquè proveniat impossibilitas.

APHORISMUS decimus tertius.

Mali sumus volendo consequi & retinere, quæ consequi & retinere non possumus, & nolendo incidere in ea, quæ devitare nequimus.

EA quippè velle, quæ consequi & retinere non possumus, & nolle, quæ devitare nequimus, sunt actus, quos elicere non debemus. Ac proindè mali sunt, & ipsos edendo sumus mali. Verùm, observandum est, quæ naturâ suâ sunt impossibilia rarò admodùm aut nunquam desiderari ; ita ut, quamvis ista velle

velle ſit malum, & malus ſit quiſquis talia appetit, vix unus tamen reperiatur, qui talia appetendo malus eſt; ſed, impoſſibilia, quorum amore peccant mortales, ſunt res mundanæ, quandò earum incertitudo, cauſarum & circumſtantiarum concurſu, in impoſſibilitatem deſinit. Illarum quidem amor multas ob cauſas meritò vitioſus habetur; (ut alibi demonſtravimus) conſideratur tamen ut vitioſus, in hoc Aphoriſmo, quatenùs terminatur ad res mundanas, cùm devitatu & comparatu evadunt impoſſibiles; & in vigeſimo, quatenùs ad illas terminatur, quandò ſunt incertæ; licèt in ejus explicatione, primo argumento, quod incertitudine nititur, adjecta ſint & alia duo, quibus malitia porrò demonſtratur.

Aphoris.

APHORISMUS decimus quartus.

Miseri sumus volendo consequi & retinere, quæ consequi & retinere non possumus, & nolendo incidere in ea, quæ devitare nequimus.

UT enim beatus est qui certò, cùm ea, quæ consequi & retinere vult, consequitur & retinet, cùm in ea non incidit, in quæ non vult incidere: ita miser est, quicunque nec assequitur nec retinet, quod assequi & retinere desiderat, nec devitat, quod devitare studet; qualis est omnis, qui consequi & retinere vult, quæ consequi & retinere non potest, quiq; devitare studet, quæ devitare nequit. Et ratio est, quoniam frustrationis comes est dolor, qui ex nostrâ sententiâ (ut alibi ostendimus) est miseria; saltem, ut arbitrantur omnes, citra miseriam subsistit nunquam. Miseriam lætam vel non-tristem, ut fœlicitatem tristem vel non-lætam, comminisci frivolum est & absurdum.

APHORIS.

APHORISMUS decimus quintus

Actus voluntatis, quibus aut volumus ea consequi & retinere, quæ an consequi & retinere possimus, incertum est; aut nolumus in ea incidere, quæ an devitare valeamus, incertum est; laborant periculo frustrationis.

INcertitudinem consequendi, retinendi, devitandi ea, quæ consequi, retinere, devitare studemus, periculum frustrationis nunquam non comitatur; & cùm consequendi, retinendi, devitandi potestas incerta est, incerta sunt & ista omnia, quæ ab illâ dependent, qualia sunt, consecutio, retentio, devitatio.

APHORISMUS decimus sextus.

Ubi frustrationis periculum, ibi metus.

CUm bonum, quod adipisci & retinere volumus, adipisci & retinere; & malum

lum, quod devitare volumus, devitare certò possumus; non est quòd metuamus, nè vel illud non consequamur & retineamus, vel in hoc incidamus. Nam, certa sunt omnia, omnia sunt in tuto, quia vires ad superandum quicquid frustrationem molitur, abundè sufficiunt. Quandò verò vires sunt minores, quàm quæ omnia, quæ periculum frustrationis minitantur, ita edomare possunt, ut eorum, quæ assequi, retinere, vel devitare volumus, certam assecutionem, retentionem, aut devitationem polliceri queant, metuamus necesse est. *Defectus* (inquit *Aquinas*, 1. 2. q. 43. Art. 2.) *per se loquendo, est causa timoris: Ex aliquo enim defectu virtutis contingit quòd non possit aliquis de facili repellere imminens malum.* Quid multis opus? Quisquis seipsum sedulò scrutatur & observat, Aphorismi veritatem agnoscit.

Aphorismus decimus ſeptimus.

Ubi metus, ibi non eſt fœlicitas.

METum & fœlicitatem, ſi inter ſe conferantur, coëxiſtere non poſſe facilè conſtabit. Etenim, ubi fœlicitas, ibi mentis gaudium, tranquillitas, ſerenitas, pax & ſecuritas; metus verò eſt animi, propter impendentis mali opinionem, ταραχὴ ſeu perturbatio, ut docet *Ariſtoteles*, 2 Rhet.c.x. Dolor eſt, ſed immaturus, præcox & ante tempus; eſt animi fœtus abortivus, anticipat mali exiſtentiam, mœſtitiæ prolepſis eſt, ut *Anim. Medel.* l,3. c.13. fuſiuſculè oſtendimus. Eſt vehemens animi tumultuatio, agitatio & conſternatio. Dolor autem gaudium non patitur, nec perturbatio tranquillitatem, nec tumultuatio ſerenitatem, nec agitatio pacem, nec conſternatio ſecuritatem. Breviter, *Sunt timores* (inquit *Nierembergius* de Arte volunt. l.2.c.5.) *dentes acutiores miſeriæ, quibus morſus intolerabiles ſentimus.* Undè fœlicitatem & timorem, non eandem ſimul ſedem occupare, manifeſtum eſt.

APHORISMUS decimus octavus.

Debemus nec ea velle consequi & retinere, quæ an consequi & retinere valeamus, incertum est; nec in ea incidere nolle, quæ an devitare possimus, incertum est.

ETenim, cùm fœlicitatem naturaliter expetamus, eámq; consequi & possimus & debeamus, cúmq; sit summum nostrum bonum, perfectio, & finis ultimus, quò omnes nostros actus referri oporteat, illiciti sunt actus quicunq; fœlicitati adversantur, qualessunt, velle consequi & retinere, quæ an consequi & retinere valeamus, incertum est, & nolle incidere in ea, quæ an devitare possimus, incertum est, quoniam laborant periculo frustrationis, cui metus, qui beatitudini repugnat, adhæret necessariò. Voluntas inter animæ facultates primas obtinet, maximam itaquè sui curam meretur & exposcit, nè scilicet actus ejus vel perdantur vel periculo perditionis exponantur. Tantæ facultatis prodigus est, eáque planè indignus, qui

qui illam tam parvo æſtimat, ut actuum illius jacturam facere non vereatur, aut ipſos jacturæ periculo permittere non erubeſcat. Perduntur autem actus voluntatis cùm finem ſuum haud aſſequuntur; & periclitantur, cùm an illum conſecuturi ſint, necne, incertum eſt ac dubium; quod evenit quotiescunque volumus conſequi & retinere, quæ an conſequi & retinere poſſimus, non conſtat, & nolumus in ea prolabi, quæ an devitare queamus, non liquet. Talia volendo & nolendo, *currimus in incertum* (quod ſuo ipſius exemplo vetat Apoſtolus, 1 Corinth. c. 9. v. 26.) & *amamus periculum*, quod teſte *Siracide*, c. 3. v. 27. ruinâ mulctatur. *Qui amat periculum, peribit in illo*, vel dolore vel metu: *Dolore*, non aſſequendo & non retinendo, quod aſſequi & retinere volumus, ac incidendo in id, quod effugere deſideramus;

——Nemo ſe tutò diù
Periculis offerre tam crebris poteſt,
Quem ſæpè tranſit caſus, aliquandò invenit.

Metu, quandocunquè dubia vel amplexari vel devitare, in votis eſt; quorum ille,

ille, pœna temeritatis eſt quàm ſæpiſſimè; hic ſemper, quoniam non-conſecutio, non retentio, aut non-devitatio nunquam non formidatur.

Aphorismus decimus nonus

Ea, quæ an conſequi & retinere poſſimus, incertum eſt, ſunt terrena, caduca & vana, quæ vulgò bona corporis & fortunæ nuncupantur; & quæ an devitare valeamus, incertum eſt, ſunt iis contraria.

QUanta ſit bonorum corporis & fortunæ incertitudo, paucis explicabimus. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto*, [vulg.] ἀδηλότητι *divitiarum*, 1 Timoth. c. 1. v. 7. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere; quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum*, Proverb. c. 25. v. 5. vel, ut vertit *Mercerus: Num conjicies oculos tuos in eas, quum nullæ ſint? quoniam faciendo faciunt ſibi alas ſimiles aquilæ, & evolant in*

cœlum: Quaſi dicat : (inquit vir clariſſimus) *In eáſne oculos conjicies, quum ſubitò evaneſcant ? ſunt enim & occurrunt quotidiè ſexcentæ rationes perdendi vel momento divitias, in quibus te diù fatigâris, & vires omnes ac ſtudia corporis & animi contuleris. Onkelos*, (eodem referente) habet ותעיף, *q. d. vix complicueris oculos (ut palpebræ inter intuendum complicari ſolent) ad intuendum divitias, id eſt, vix ictum oculi in eas conjeceris, jam abierint. Verti me ad aliud, & vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam ; ſed tempus caſúmque in omnibus*, Eccleſiaſt. C. 9. V. 11. *Vidi ſervos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos*, Ibidem, C. 10. V. 7. Ipſa noſtra vita, eſt *vita inſtabilitatis*, Ibidem, V. 9. πάντα τὰ μὲν τοῦ σώματος ποταμός, *Omnia quæ ad corpus pertinent, fluvii naturam habent*, ut docet ὁ ἐν βασιλεῦσι φιλοσοφώτατος, *Marcus Antoninus*, L. 3. Rurſùs: πάντα ταῦτα ὅσα ὁρᾷς, ὅσον οὐδέπω μεταβάλλει, καὶ οὐκ ἔτι ἔσται. καὶ ὅσων ἤδη μεταβολαῖς αὐτὸς παρατετύχηκας, συνεχῶς διανοοῦ. ὁ κόσμος ἀλλοίωσις, id eſt, *Omnia hæc quæ cernis, ſtatim mutabuntur, nequè erunt ampliùs : perpetuóque cogita, quot jam eorum mutationibus ipſe interfueris. Mundus*

quidem

quidem rerum in varias ſubindè formas mutatio eſt. Sumus omnes בני חלוף [Proverb. C. 31. V. 8.] Hoc eſt, (ut exponit *David Kimhi*) עלם *Mundi vel ſæculi : ſic dicti quòd tranſeat, nec quicquam in eo ſit ſtabile.* Rerum terrenarum acquiſitio à tot cauſis dependet, & à totidem rebus impediri poteſt, ut, ſi deſideriorum & eventuum numeros inter ſe conferamus, ex mille rebus terrenis, quæ paſſim expetuntur, una vix eveniat : & illa ipſa res acquiſita, ad ſui conſervationem tot cauſas exigit, & res ſunt totidem quæ ipſam abrumpere poſſunt, ut illas omnes ad conſervationem conſpirare, & harum nullam, ipſam prohibere, ſit penè miraculoſum. Et, ſi res, quam exoptamus, eventura ſit, vel jam evenerit, à metu vel non-eveniendi vel amittendi, nihil eſt (modò non-appetitionem excipias)quod nos liberet, quia, ut modò dictum eſt, rei terrenæ acquiſitio & conſervatio multas cauſas poſtulant, quarum una ſi non concurrat, (quod tam uſitatum eſt, quàm omnes ſimul coire & quaſi ex pacto, ut res acquiratur & conſervetur, conſentire, inuſitatum) de acquiſitione & conſervatione actum eſt; & res ſunt permultæ, quibus acquiſitio & conſer-

 vatio

vatio impediri queunt. Eodem ratiocinio, devitationis & continuationis devitationis eorum, quæ an devitare poſſimus, dubium eſt, qualia ſunt bonis corporis & fortunæ contraria, incertitudo comprobatur. Nam, ex plurimis rebus ad devitationem & devitationis continuationem requiſitis, ſi vel una deficiat, quod fieri poteſt & ſolet, devitatio vel nulla eſt, vel eâ, quàm quæ vulgò deſideratur, brevior. Hâc de re ſi quis dubitet, ſtultorum Magiſtram, Experientiam conſulat.

Aphorismus Vigeſimus.

Volendo & nolendo incerta, quæ ſcilicet bona corporis & fortunæ appellantur, iiſque ſunt contraria, ſumus mali.

Cùm enim nec iſta velle nec hæc nolle debeamus, quia ſunt incerta, (ut ſuprà probavimus) iſta volendo & hæc nolendo, ſumus mali; cúmque iſta ſint amore noſtro indigna, atque hæc odium haudquaquàm mereantur, (ut alibi demonſtravimus) iſta ſectando,

sectando, hæc aversando, amorem & odium malè collocamus ; cùm deniquè iniquitas omnis sit vel rerum mundanarum amor, (quem odium comitatur) vel ab eo, ceu fonte proficiscatur, (ut *Anim. Medel.* & *Manuduct. ad vitam probam*, freti *S. Scripturâ*, ratione & experientiâ, ostendimus) aut pravi sumus volendo bona fortunæ & corporis, quæ sunt res mundanæ, atque iis adversa nolendo, aut nulla est omninò pravitas. Sed, quæ alibi hâc de re disseruimus, repetere non libet ; tantùm cum *Bernardo* dicimus : *Mundus est, ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum.*

Aphorismus Vigesimus primus.

Mali sunt Miseri.

BEatus omnis liber est, seu vivit ut vult ; quòd autem mali non sunt liberi, egregiè probat *Epictetus* apud *Arrianum*, L. 4. C. 1. *Liber est*, (inquit) *qui vivit ut vult : qui nec cogi, nec prohiberi, nec vim pati potest: cujus appetitiones non impediuntur, desideria*

non fruſtrantur : averſationes non ſunt irritæ. Quis igitur vivere vult delinquens? Nemo. Quis vivere deceptus, temerarius, injurius, petulans, querulus, humilis, abjectus? Nemo. Nemo igitur improbus vivit ut vult, eóque nec liber eſt. Quis verò vivere vult ſolicitus, meticuloſus, invidus, miſericors, cupidus & impos voti? Quis ut in ea quæ fugit incidat? Nemo. Habemus ergò improbum aliquem, expertem doloris, timoris, calamitatum, votorúmque omnium compotem? Neminem. Ergò nè liberum quidem. Undè patet malos eſſe non tantùm non-beatos, verùm etiam miſeros; quod porrò demonſtratur in hunc modum:

Ut boni ſunt fœlices : ità mali infœlices. Omnis enim pravitas eſt bonorum corporis & fortunæ amor, & adverſorum odium, aut indè derivatur. Qui verò iſta depereunt, vel non aſſequuntur, vel aſſequuti non retinent, vel metuunt nè non aſſequantur aut non retineant, quoniam res, quas diligunt, alienæ poteſtati ſunt obnoxiæ; quamobrèm nunquam non affliguntur, nunquam non ſunt miſeri. Ad eundem modum, qui iſtis adverſa effugere conantur, vel non effugiunt, vel abrumpitur devitatio, vel timent nè non effugiant

effugiant aut non perseveret devitatio, quia devitatio incerta est, ejúsque continuatio dubia. Ac proindè perpetuò torquentur vel dolore vel metu. παρανομίαι ἄνδρα ἀγρεύουσι, σειραῖς δὲ τῶν ἑαυτοῦ ἁμαρτιῶν ἕκαστος σφίγγεται, Proverb. C. 5. V. 22. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sapient. C. 11. V. 17. ἀδύνατον (inquit *Aristoteles*) τὸν μὴ τὰ καλὰ πράττοντα, καλῶς πράττειν. Οὐδὲν δεινὸν (ait *Maximus Tyrius*, Differt. 2.) ἢ ἀνιὸν καὶ δεξιὸν ὁμοῦ ἐστὶ ἀδικίας καὶ παθητικόν.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Deum relinquere, quod est malè agere, est & *malum* & *amarum*, Isai. C. 2. V. 20. Μεγάλη βλάβη τῷ ἀδικοῦντι ἐστιν, αὐτὴ ἡ ἀδικία, *Epicteto* apud *Arrianum* judice; imò, si fidem *Senecæ* adhibeamus, *prima & maxima peccantium pœna est peccâsse*, Epist. 16. העוה נלאו *Perversè agendo labonant*, Jerem. C. 9. V. 5. *Nullum maleficium* (ut docet *Tertullianu*. contra *Marc.* L. 2. 17.) *sine formidine est, quia nec sine conscientiâ sui.* Ac propterea, οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσιν, Isa. C. 57. V. 21. LXX. *Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem*

Domini ignoravimus, Sapient. C. 5. V. 7. Impios exercet difficultas, moleſtat laſſitudo, obruit perditio. Appetitum quidem fœlicitatis haud eliminat, ſed certiſſimè fruſtratur iniquitas. Homines ad fœlicitatem, quam ardentiſſimè depereunt, perducere, prærogativa virtutis eſt. Τί ἔργον ἀρετῆς; εὔροια, ut quærit & reſpondet *Epictetus* modò citatus, apud *Arrian.* L. 1. C. 4.

Aphorismus Vigeſimus ſecundus.

Debemus eſſe non-miſeri.

A Miſeriâ naturaliter abhorremus, eámque devitare poſſumus, ac propterea & ipſam devitare debemus. Porrò, cùm mali ſint miſeri, ut non-mali, ita & non-miſeri eſſe debemus. Miſeria eſt hominis tam peccatum quàm pœna. Ut autem Deus & lege naturæ & bonos actus præcipiendo, fœlicitatem præcipit: (ut ſuprà declaravimus) ita eâdem naturæ lege & actus malos vetando, vetat & miſeriam, quamvis ipſam *expreſſè* non niſi tanquam *pœnam* minitetur.

nitetur. Iniquitas miſera eſt, & iniqua miſeria.

Epilogus.

A Deſideriis rectè vel ſecùs inſtitutis & collocatis pendet omnis noſtra vel fœlicitas vel miſeria; eorum tamen, quaſi ad illam conſequendam & hanc devitandam, nullius eſſent momenti, voluntas eſt prodiga & admodùm temerè profuſa. Impoſſibilia haud infrequenter in votis ſunt, atque hinc mœſtitia exurgit neceſſariò; paſſim appetuntur incerta, undè ſi non fruſtratio, ut ſæpè fit, certus tamen metus exoritur. Quàm pauca ſunt vota quæ rebus aliis nuncupamus? Deus bone! quot perdimus deſideria? certa ferè negligimus, & ἀδύνατα vel dubia ſectamur ærumnoſi. Si voluntas quidem à poteſtate conſequendi & devitandi ſuas omnes inchoaret appetitiones & averſationes, nobis nec fruſtratio, nec periculum fruſtrationis, ullam crearet miſeriam: ſecuritatem præſtat τῶν ἀπροαιρέτων ἀπόστασις. Sed ordinem invertimus. Nam à voluntate incipimus,

cipimus, hoc est, primùm appetimus & aversamur; dein, num quod appetimus, adipisci, & quod aversamur, devitare valeamus, experimur; quo pacto in miseriam prolabimur. Desideriis satisfacere, conatu quidem magno, sed irrito, laboramus, ipsa verò emendare nolumus : ut qui boulimiâ infestatur, non appetitum caninum eradicare, sed cibos undiquè, quos devoret, conquirere satagit; aut, ut qui siti morbosâ vexatus, potum exposcit copiosum, qui ipsam extinguat, intemperiem verò ventriculi corrigere non studet. Fœlicitas verò, haud aliter quàm libertas, non ἐκπληρώσει τῶν ἐπιθυμουμένων παρασκευάζεται, ἀλλὰ ἀνασκευῇ τῆς ἐπιθυμίας, *Explendis desideriis comparatur, sed refutandâ cupiditate*, ut observavit *Epictetus* apud *Arrianum*, L. 4. C. 1. μέτρον, *modus pecuniæ* (inquit Idem, Enchirid. C. 6.) *corpus est unicuique, ut calcei pes. Si igitur in eo institeris, modum servabis : sin præterieris, jam veluti per præceps te ferri necesse erit, ut & in calceis : si ultra pedem progressus fueris, fit auratus calceus, deindè purpureus, deindè interpunctus. Ejus enim quod semel transierit modum, nullus est terminus.* Appetendi verò & aversandi μέτρον est potestas adipiscendi quod volumus, &

devi-

devitandi quod nolumus; quam regulam ſeu menſuram ſi non obſervemus, voluntas, ut *Cain*, vagabitur in terrenis, &, ut columba ex arcâ emiſſa, non inveniet ubi requieſcat. Voluntati intra limites illius poteſtatis ſeſe non continenti, ut *ſanguiſugæ, duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, affer*, Proverb. C. 30. V. 15. ejúſque deſideria nullibi conſiſtunt, ſed, tanquam errones, palantur in infinitum. *Cum ex me quæris* (inquit *Epictetus* apud *Arrian.* L. 2. C. 23.) *quid omnium rerum optimum ſit, quid dicam? Eloquentiam non poſſum, ſed voluntatem rectam. Hæc enim eſt quæ illâ etiam utatur, cæteriſque omnibus tam parvis quam magnis facultatibus. Nam hæc ſi rectè ſe habuerit, homo non bonus, fit bonus. Sin ſecùs, homo evadit malus. Hæc eſt, quæ res adverſas & proſperas efficiat. Hâc alii alios reprehendimus & approbamus. Deniquè ea eſt, quæ neglecta infelicitatis, probè curata fœlicitatis auctor exiſtat. Nam ſapiens quidem* (ut docet *Plautus*) *pol ipſe fingit fortunam ſibi* Quod etiam in Paradox. 5. à *Cicerone* traditur: *Nec eſt ulla res* (inquit) *quæ plus apud Sapientem polleat, quàm ipſius voluntas atque judicium, cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur,*


fortuna

fortuna ipſa cedit, ſicut ſapiens Poëta dixit;

Suis ea cuique fingitur moribus.

Non quaſi cuncta voluntatis humanæ juſſu atque imperio adminiſtrarentur, quod Deo, ſummo rerum moderatori peculiare eſt; ſed quia fortunam cuique à Deo deſignatam, quiſque volendo & nolendo, ſibi facit aut bonam aut malam. Et quidem noſtrâ parùm intereſt, undecunquè oriatur fortuna, in ipſâ modò voluntas acquieſcat. Nam quemadmodùm ſi partes ſuas alternatim vel cœlum terræ vel terra cœlo accommodet: ita ſive res ſint, ut volumus, ſive velimus ut res ſint, ut ſunt, perindè eſt.

SECT.



Sect. II.

Præfatio.

HActenùs & quæ ad beatitudinis eſſentiam pertinere judicavimus, & methodum cùm brevem cùm facilem, quâ diligenter obſervatâ, in maximis angoribus corporis, extremâ pauperie, ignominiâ ſummâ, locum habet fœlicitas, ἀπερίσπαστος eſt homo & ἀμέριμνος, εἰρηνεύει, εὐοδεῖται, enarravimus; ita ut de beatitate plura dicere planè non-neceſſarium videri queat : verùm, homines ſumus, [אנשם à radice, quâ denotatur infirmitas] non angeli confirmati ; & tales, quales, cùm ſtamus, nè cadamus, cavere oportet : [1. Corinth. C. 10. V. 12.] & noſtræ voluntatis inſtituta non ſunt *leges Regis Medorum & Perſarum, quæ non mutantur*, Dan. C. 6. V. 12. Ac propterea, ut miſeriæ occaſiones præcidantur,

dantur, & quæcunque vel minimum periculum minitantur, ſedulò devitentur, operam damus, quò fragilitati humanæ ſuccurratur. Ea verò, quibus periclitatur mentis tranquillitas, ſunt adverſa corporis valetudo, egeſtas & ignominia, ; aut ad hæc, ut præcipua, quàm facillimè reducuntur. Animum quidem, illam auræ Divinæ particulam, vel corporis doloribus, vel inopiâ, vel infamiâ perturbari neceſſe non eſt ; perturbari tamen videmus, ídque quotidiè, cùm vel ſæviunt corporis dolores, vel premit inopia, vel urget infamia. Valdè rara eſt indoles illa, quæ inconcuſſa, & veluti rupes immota, horum impetum ſuſtinet fortiter & generoſè. Admodùm pauci ſunt, qui cum Apoſtolo *Paulo* εὐδοκοῦσιν, *ſibi placent* (vel ut alii vertunt, *oblectantur*) *in infirmitatibus*, *in contumeliis*, *in neceſſitatibus*, *in perſecutionibus*, *in anguſtiis*, [2. Corinth. C. 12. V. 10.] &, *gloriantur in tribulationibus*, Roman. C. 5. V. 3. Ut itaquè corpus, fortuna, aliorum de nobis opiniones, cæteráque externa, nullum vel quàm minimum creent periculum, ſed tranquillitatem potiùs, quoad fieri poteſt, juvent & promoveant, noſtras quoque de rebus illis & illarum uſu,

quatenùs serenitati mentis inservire possunt, meditationes, quales quales sunt, in *Aphorismos* digessimus, eósque & rationis & authoritatis pondere munivimus.

APHORISMUS Primus.

Valetudo prospera, cæteráque corporis bona, opes & honores suam habent ἀξίαν, *& contraria* ἀναξίαν.

QUamvis nec illa sint moraliter bona & amore, nec hæc moraliter mala & odio digna, prout *Anim. Medel.* L. 1. fusiusculè demonstravimus; inter utraque tamen permultùm interest. Illa æstimationem habent, dignitatem & pretium, & vocantur προηγμένα, producta, promota, præposita seu præcipua, εὔχρηστα, commoda; hæc appellantur ἀποπροηγμένα, rejecta seu rejectanea, δύσχρηστα, incommoda, deæstimabilia. *Indifferentium* (inquit *Cicero*, 3. de finibus) *alia æstimabilia esse, alia contra, alia neutrum. Quæ æstimanda, eorum in aliis satis esse causæ quamobrem quibusdam anteponerentur : ut in vale-*

tudine

tudine, integritate ſenſuum, vacuitate doloris, divitiis, gloriâ, alia autem non eſſe ejuſmodi. Itémque eorum, quæ nullâ æſtimatione digna eſſent, partim ſatis habere cauſæ quamobrèm rejicerentur : ut dolorem, morbum, ſenſuum amiſſionem : partim non. Atque hinc exortum eſſe illud quod Zeno προηγμένον, *contráque quod* ἀποπροηγμένον *nominavit.* Inter hæc diſcrimen nemo non videt, & alia aliis eſſe potiora nemo non agnoſcit. Quis enim, niſi mentis planè inops, electione datâ, valetudinem proſperam adverſæ; corporis voluptatem, ejus dolori; divitias, egeſtati; gloriam, ignominiæ non lubenter anteponeret? *Beatus* (inquit *Seneca*, C. 25. de vitâ beat.) *totum fortunæ regnum deſpiciet, ſed ex illo tamen, ſi dabitur electio, molliora ſumet.* Sed, quid eſt hæc ἀξία? *Res* (inquit *Cicero*, 4. de finib.) *quas nos* (Academici) *bonas dicimus, Zeno conceſſit, ut haberentur aptæ, habiles, & ad naturam accommodatæ : faterique cœpit, ſapienti commodius eſſe, ſi eas quoque habeat. Diogenes Laërtius* docet, ἀξίαν δὲ μέσην τινὰ δύναμιν ἢ χρείαν, συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον, h. e. *Æſtimationem eſſe mediam quandam facultatem & uſum, conferentem aut convenientem ad vitam ſecundùm naturam.* Ratio

verò

verò generalis, ob quam, quæ vulgò b[illegible] externa nuncupantur, adversa dignitate præstant, seu quà conferunt ad vivendum secundùm naturam, quáque sapienti commodius est illis frui quàm destitui, est, quoniam hominem liberant à periculo perturbationum, ad quas illis orbatus, admodùm proclivis est, ut experientia cunctorum sæculorum luculentissimè testatur; & quoniam ritè ac prudenter tractata, ad animi tranquillitatem cùm procreandam tum conservandam, suo modo haud parùm conducunt. Quod, ut & quare singula singulis oppositis præferri debeant, posteà declarare conabimur.

Aphorismus Secundus.

Habenda est ratio valetudinis, voluptatum corporearum, vestitus & domus.

PRospera corporis valetudo, ut & ejus pulchritudo, habito ad animum respectu, externa bona nuncupantur: inter ea

verò

verò omnia, quæ vulgò ita nominantur, illa facilè primas obtinet. τὴν ὑγίειαν, ἥδυσμα θειότατον εἶναι καὶ προσηνέστατον, *ſanitatem, maximè divinum longéque blandiſſimum eſſe condimentum*, docet *Plutarchus*. Sed, quid animo cum corpore, ſpiritui cum materiâ, immortali cum caduco? Si quidem animus à conſortio corporis liber & immunis, illius auxilio & miniſterio non indigeret, non eſſet, quod curâ ſuâ ipſum dignaretur : verùm, cùm animus conjunctione ſuâ cum corpore non ſit vetuſtior, ejúſque poſtulet obſequium, ab ipſo corpus haudquaquàm negligendum eſt ; quin potiùs unio, antiqua conſuetudo, & varius uſus, quem illi præbet corpus, curam promerentur. Corpus aut hominis pars eſt, aut animi vel domicilium vel organum ; jam verò nec natura alteram ſui partem, nec prudens aut incola domicilium, aut artifex ſuum negligit inſtrumentum. Toti benè non eſt, cùm pars malè ſe habet ; habitaculum ſqualidum & incommodum, incolæ diſplicet ut plurimùm ; &, inſtrumento vitiato, qualia ſunt artificis opera? Corpus autem ideò curandum eſt, ut animo inſerviat. *Quidnam igitur Philoſophus ; ad quid intentus volet corpus dirigere? cujus*

inſtru-

inſtrumentum potiùs quàm philoſophiæ, atque operum ipſius, ſtudebit efficere? (quærit *Hierocles* in Carm. *Pythag.* & reſpondet:) *quâ ratione igitur prudentiæ inſtrumentum corpus poteſt evadere, ſic ipſum modis omnibus educabit, atque inſtituet; animi inprimis curam habens, corporis autem propter iſtum.* χρεία καὶ τῇ ψυχῇ (inquit *Gregor. Nyſſen.*) τῆς ἐπιμελείας τοῦ σώματος, ἵνα καταστήσῃ αὐτὸ ὄργανον ἐπιτήδειον ἑαυτῇ. Si corpus verò ſit habitaculum animæ, eo nomine curandum eſſe docet *Tertullianus* de Anim. C. 38. *Certè,* (inquit) *domus animæ caro eſt, & inquilinus carnis anima: deſiderabit itaquè inquilinus ex cauſâ & neceſſitate hujus nominis profutura domui, toto inquinilatus ſui tempore: non ut ipſe ſubſtruendus, nec ut ipſe loricandus, nec ut ipſe tibicinandus, ſed tantummodò continendus: quia non aliter contineri poſſit quàm domo fultâ.* Quàm optimè verò corpus ſanum inſervit animo. Nam, præterquàm quòd ſanum, pars eſt, alterius partis, animi conſortio digna, ſaltem aut domicilium ipſi accommodatum, aut inſtrumentum, cujus tantum & talem artificem nec pudeat nec pigeat; ad obſequendum animo, & ad ejus mandata executioni mandanda aptum eſt & idoneum; &, quod

maximi momenti eſt, ad gaudium diſponit, inclinat & movet, ídque adeò efficaciter, ut ipſa quoque inſomnia ſuavia reddat & jucunda. Ex adverſo, corpus ægrum menti tantùm triſtia ſuggerit, ipſámque ad lugendum ſolicitat. Corpore morbis afflicto & doloribus lancinato, in ægritudinem prolabitur & animus; ut contrà, mœrores animi deſinunt in corporis perniciem. Mens quidem poteſt & debet eſſe hilaris, alacris & vegeta, etiamſi vires corporis langueant, corpúſque maximis torqueatur angoribus; poteſt, inquam, & debet, ſed tanta inter animum & corpus intercedit ſympathia, quanta plerumque euſquè prævalet, ut irritam reddat illam potentiam & officii inducat oblivionem. Langueat corpus, languet animus; doleat, condolet, &, ut ad quamvis aliam actionem obeundam planè ineptus, mœſtitiæ totus incumbit. Ὁ ψυχῆς μόνης (inquit *Hierocles* modò citatus) ἐπιμέλειαν ποιούμενος, τοῦ δὲ σώματ@ ἀμελῶν, ὀ τὸν ὅλον ἄνθρωπον καθαίρει, h.e. *Qui animi ſolùm curam gerit, corpus autem negligit, non hominem purgat integrum.*

Unde patet quàm magna ſit bonæ valetudinis ἀξία, ob quam, optione datâ, ægritudini præferenda eſt, & nobis quanto conatu,

natu, ut corpore rectè valeamus, adnitendum. *Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm dives imbecillis & flagellatus malitiâ. Salus animæ in sanctitate justitiæ, melior est omni auro & argento, & corpus validum quàm census immensus. Non est census super censum salutis corporis.* Sirach. C. 30. V. 14, 15, 16. Hoc sanitati peculiare est, quòd animo proximè famulatur, cùm cætera externa non nisi ipsâ interveniente menti ancillentur, & ad ejus tranquillitatem conducant. Quamobrèm, sanitatis ἀξία est regula, quâ, de reliquorum externorum dignitate judicandum est, hoc est, pluris vel minoris æstimanda sunt, prout ad sanitatem plùs minùs conferunt; nam haud aliter animi serenitatem procurant aut juvant, quàm sanitatem quoquo modo aut procreando aut conservando. ἐπιμελεῖσθαι σώματος δεῖν (inquit *Clemens* Stromat. 4. ex *Plat.* Polit. 3.) ψυχῆς ἕνεκα ἁρμονίας, δι' ὃ ζῆν τέ ἐστι, καὶ ὀρθῶς ζῆν. Et mox de aliis externis: τούτων οὖν ἀνθεκτέον, οὐ δι' αὐτὰ, ἀλλὰ διὰ τὸ σῶμα. ἡ δὲ τοῦ σώματος ἐπιμέλεια διὰ τὴν ψυχὴν γίνεται, ἐφ' ἣν ἡ ἀναφορά.

Valetudo verò prospera sive sit conservanda, sive recuperanda, *Medici* sunt consulendi; & quod ad ejus conservationem attinet,

attinet, probum *regimen in sex rebus non-naturalibus* inprimis observandum est. Illud quidem in nostrâ *Dissertatione de Morte* non ita pridem tradidimus, ut & alii passim; nihilominùs de epulis, quoniam unicus ipsarum scopus videtur esse lætitia, nonnihil hìc loci disserere, ab instituto præsenti haud erit alienum.

Quanti momenti sunt epulæ ad gaudium mentis excitandum & promovendum, docet *Sirachides* C. 30. V. 27. *Splendidum cor & bonum in epulis est : epulæ enim ipsius diligenter fiunt.* H. e. ut explicat *Cornelius à Lapide*, *Cogitatui & curæ, quæ citam adducit senectam, quasi remedium & antidotum opponit cor splendidum exhilarans se epulis, itaque curas discutiens & vitam prolongans.* Mentem verò exhilarant epulæ, spiritus renovando, erigendo, & corporis statum ad gradum ulterioris perfectionis & puritatis elevando. Atque hæc præstant, non intempestivæ, sed tempestivæ. Quandò verò sunt intempestivæ, quandò secùs, inter omnes haud convenit. Vulgus epulas instituit & frequentat, cùm mens est hilarior, & corpus ad hilaritatem promovendam magis aptum est & dispositum. Verùm, cùm benè se habent

bent & animus & corpus, quid epulis opus est? Victus plenior & lautior, ut medicina, tantùm urgente necessitate adhibendus est: Aliàs bonum corporis statum periculo exponimus, & epulis assuescendo, cùm iis non indigemus, indigentibus aut non omninò aut minùs prosunt. Sapientes autem observant illud *Salomonis* præceptum: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs*, Proverb. C. 31. V. 6. Mœrentibus, seu iis qui amaro sunt animo, epulis, tanquam remedio, tempestivè occurritur; imò, & cùm animus ad languorem, & corpus ad torporem tantùm vergit, epulæ sunt peropportunum pharmacum, quo morbi utriusq; in principiis suis, profligantur, & nè ulteriùs grassentur & sæviant, prohibetur. Luxus est, non medicina, epulari, quandò status nec animi nec corporis illud efflagitat. Quòd si tunc solùm epulemur, cùm vires animi & corporis deficiunt, aut deficere incipiunt, emolumentum majus est, eò quòd utraque pars vegeta, epulis non fuit assueta. Medicamentum familiaritate suas amittit vires, atque ideò, ipso qui utitur, cùm opus non

 est,

est, illum juvat parùm aut nihil, cùm opus est. Quocircà, cùm omnia rectè se habent, epulis abstineamus, ut, necessitate ipsas postulante, cum fructu epulemur.

Quâ ratione verò prospera corporis valetudo adversæ præferenda est, eâdem, voluptates corporeæ, quatenùs ipsam comitantur, fovent aut augent; vestitus, quatenùs illam tuetur; & domus ejúsque supellex, quatenùs eandem protegunt, contrariis suis sunt potiora, illísque, quandocunquè licuerit, anteponenda.

Quod ad pulchritudinem attinet, & vestimenta ac domum, quatenùs aliis, quibuscum vivimus, placere possunt, ea ad *Aphorismum* de aliorum opinione, differimus.

Aphorismus Tertius.

Opes non sunt negligendæ.

QUanquam spectatâ frequenti divitum improbitate, opes sint vitii potiùs quàm virtutis ministræ, malæ tamen non sunt. Ipsis quidem abutuntur mali; verùm, malos

malos haud faciunt, sed ostendunt. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ*, Proverb. C. 13. V. 8. *Fœlix cui opes & mens suppetunt*, inquit *Democrates*, & *Democrate* major : *Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem : sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia*, Eccles. C. 7. V. 12, & 13. *Quasi dicat*, (inquit Doctissimus *Mercerus*) *plus multo emolumenti iis qui sub sole sunt, evenit ex sapientiâ, si ad eam accesserint facultates.* Rursùs : *Tam hoc quàm illud hominem protegit & defendit ; ut sapientia adminiculo est homini, sic sæpè opes.* Et paulò pòst : *Multi divitiarum ope vitam sibi servârunt, & multa effugerunt discrimina.* Divitiæ reddunt alios nobis benevolos, honorem conciliant, súntque instrumenta, quibus aliis benefaciamus, & benefaciendo, nobis ipsos arctè devinciamus, & quibus alia Reipublicæ utilia edamus opera. *Sunt sanè divitiæ* (inquit modò citatus *Mercerus*, in C. 7. V. 12. Eccles.) *instrumentum multarum rerum agendarum, quæ sine illis quantumvis sapientiâ valeas, effici nequeunt : sicut & in Salomone utrumque conjunctum fuit, & utroque simul juncto maxima & plurima egregia opera edidit, ac mortalibus profuit*

fuit Rex potentissimus simul & sapientissimus. Contrà verò,

> *Magnum pauperies opprobrium*, Horat. Od. 24. L. 3.
>
> *Nil habet infœlix paupertas durius in se,*
> *Quàm quòd ridiculos homines facit.*——

Instrumentis, quibus à periculis liberemur, alii aliis prosimus, illósque nobis obligemus, & opera præstemus, quæ juvent Reinpublicam, destituitur. Sed, quod opum usus genuinus est, & scopo nostro propriè inservit, victus, vestitus, domus, medicamenta, seu, ut breviter dicam, quæcunque ad valetudinem vel conservandam vel restaurandam sunt necessaria, ab ipsis suppeditantur. *Pecuniæ obediunt omnia*, vel ad verbum Textus *Hebræi*, *Argentum respondet omnibus*, Ecclesi. C. 10. V. 19. *Generalis* (inquit *Mercerus*) *meo judicio sententia de dominio & authoritate pecuniæ, sine quâ nihil inter mortales fiat, ut quidam nostrorum eam reginam appellavit.* Et paucis interjectis : *Elegans est* יענה *exaudit, annuit, respondet: quasi omnes res postulent ut interveniat argentum, & mox sese offerant, ubi adsit argentum.* Ex adverso,

adverſo, egeſtas, quæ ad probæ valetudinis conſervationem vel reſtitutionem exiguntur, aut omninò negat, aut ægrè ſuppeditat. Multorum ſaluti nocuerunt incommoda veſtimenta & habitacula : nonnulli fame, plures inſalubri victu & morbis, Medicorum, Chirurgorum & Seplaſiariorum opem nequicquam implorantibus, perierunt, quia defuit ipſis nummus, quo veſtes & domicilia emendarent, cibos coëmerent, victum corrigerent, Medicos & Chirurgos conducerent, & Seplaſiariis pretium pharmacorum perſolverent. Egeſtas deniquè, mentem maximâ ex parte deprimit, ad viles cogitationes tentat, & ad actiones ſordidas atque homine indignas ſolicitat admodùm vehementer.

Ex quibus conſtat, qualis ſit tum dignitas opum, tum paupertatis ἀναξία, & quamobrèm inopiæ præferenda ſit opulentia. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos : ut benedicat* [alii vertunt, *quia benedicet*] *tibi Dominus Deus tuus* &c. Deuteron. C. 15. V. 4. ὐκ ἔςαι ἐν σοὶ ἐνδεὴς, ὅτι ἐυλογῶν ἐυλογήσει σε κύριος. Rurſùs, V. 6. *Fœnerabis* (hoc eſt, *mutuabis*) *gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum.* Sed, ſi rectè moneat *Verulamius,*

fuit Rex potentissimus simul & sapientissimus. Contrà verò,

> *Magnum pauperies opprobrium*, Horat. Od. 24. L. 3.
>
> *Nil habet infœlix paupertas durius in se,*
> *Quàm quòd ridiculos homines facit.*——

Instrumentis, quibus à periculis liberemur, alii aliis prosimus, illósque nobis obligemus, & opera præstemus, quæ juvent Reinpublicam, destituitur. Sed, quod opum usus genuinus est, & scopo nostro propriè inservit, victus, vestitus, domus, medicamenta, seu, ut breviter dicam, quæcunque ad valetudinem vel conservandam vel restaurandam sunt necessaria, ab ipsis suppeditantur. *Pecuniæ obediunt omnia*, vel ad verbum Textus *Hebræi*, *Argentum respondet omnibus*, Eccles. C. 10. V. 19. *Generalis* (inquit *Mercerus*) *meo judicio sententia de dominio & authoritate pecuniæ, sine quâ nihil inter mortales fiat, ut quidam nostrorum eam reginam appellavit.* Et paucis interjectis: *Elegans est* יענה *exaudit, annuit, respondet: quasi omnes res postulent ut interveniat argentum, & mox sese offerant, ubi adsit argentum.* Ex adverso,

adverſo, egeſtas, quæ ad probæ valetudinis conſervationem vel reſtitutionem exiguntur, aut omninò negat, aut ægrè ſuppeditat. Multorum ſaluti nocuerunt incommoda veſtimenta & habitacula: nonnulli fame, plures inſalubri victu & morbis, Medicorum, Chirurgorum & Seplaſiariorum opem nequicquam implorantibus, perierunt, quia defuit ipſis nummus, quo veſtes & domicilia emendarent, cibos coëmerent, victum corrigerent, Medicos & Chirurgos conducerent, & Seplaſiariis pretium pharmacorum perſolverent. Egeſtas deniquè, mentem maximâ ex parte deprimit, ad viles cogitationes tentat, & ad actiones ſordidas atque homine indignas ſolicitat admodùm vehementer.

Ex quibus conſtat, qualis ſit tum dignitas opum, tum paupertatis ἀναξία, & quamobrèm inopiæ præferenda ſit opulentia. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos: ut benedicat* [alii vertunt, *quia benedicet*] *tibi Dominus Deus tuus* &c. Deuteron. C. 15. V. 4. οὐκ ἔσται ἐν σοὶ ἐνδεὴς, ὅτι εὐλογῶν εὐλογήσει σε κύριος. Rurſùs, V. 6. *Fœnerabis* (hoc eſt, *mutuabis*) *gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum.* Sed, ſi rectè moneat *Verulamius,*

lamius, cùm Serm. fidel. 34. dicit : *Fidem illis nimiam nè adhibeas, qui præ se ferunt contemptum divitiarum. Etenim opes despiciunt, qui desperant; nequè invenies usquam tenaciores, ubi incipient ditescere*; quorsùm hæc? Solicitudinem quidem in opibus undiquè corradendis, retinendis aut amplificandis occupatam, & artes ditescendi sordidas ac nefarias, vehementer improbamus : Opes autem, eò quòd multis ac præclaris inserviunt usibus, haud esse negligendas opinamur. De sui verò neglectu non est quòd conquerantur, si curam moderatam, quâ, inter alia, nè sumptus sint reditibus majores, cavemus, & laborem honestum & ingenuum nulli detrectemus.

APHORISMUS Quartus.

Opum mediocritas optima.

QUod satis est, nesciunt mortales, eo saltem non sunt contenti. Opum desiderio nec modus est nec terminus.

Crescit

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Perniciosa est illa fames, quæ edendo; sitis, quæ bibendo, major est. Verùm, tandem aliquandò ad se redeant homines, & perpendant *verba congregantis filii vomentis : Mendicitatem, & divitias nè dederis mihi : tribue tantùm victui meo necessaria : nè fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei*, Proverb. C. 30. V. 8, 9. Hoc ést, ut explicat *Mercerus*, *Tribue mihi mediocrem fortunam.* Quæ hâc minor est, ad furtum, perjurium, aliáque flagitia, quibus relevetur inopia, tentat, invitat, solicitat ; contemptui nos reddit obnoxios & injuriis exponit quàm plurimis : quæ major verò, *adducit ad securitatem, quâ in Dei oblivionem venitur*, uti in locum modò citatum observavit *Mercerus*, cui etiam suffragatur experientia : *Et saginatus est Jesurun & calcitravit*, Deuteron. C.32. V.15. In eâ facilè superbimus, invidiæ & insidiis prædonum objicimur : quæ media, à periculis utriusque extremæ liberior est & magis

gis immunis. *Fortunam velut tunicam, magis concinnam, quàm longam* probant *Socrates* & *Apuleius*. Deus bone! quàm pauci ſunt, qui facilem hanc & fœlicem mediocritatem animadvertunt, & orant: *Tribue tantùm victui meo neceſſaria?* Quibus autem placet τὸ λιτὸν κατὰ τὴν δίαιταν, καὶ πόῤῥω τῆς πλουσιακῆς διαγωγῆς, (quod à Matre ſuâ accepit *Marcus Antoninus*, L. 1. N. 3.) placet & hæc oratio: illis verò planè diſplicet, qui ſeſe volunt φαντασιοπλήκτως ἐπιδείκνυσθαι; quod, *Thomâ Gatakero* interprete, eſt, *cum eo apparatu, eóque oſtentationis ſtudio aliquid moliri atque edere, ut in ſtuporem & admirationem ſummam ſpectantes audientéſve conjicias.* Quibus mediocria haud ſufficiunt, cogitent quòd *ubi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis*, Eccleſ. C. 5. V. 10. Et advertant quòd idem vocabulum apud *Hebræos*, nempè המון tam *fremitum*, *ſtrepitum*, *ſonitum*, *rixam*, *ſeditionem* & *tumultum*, quàm *opum copiam* ſignificat.

Aphorismus Quintus.

Sua cuique debet eſſe vocatio, eique ſedulò inſerviendum eſt.

VOcatio alia generalis eſt, quæ *vocatio ad fœdus*; alia particularis, quæ *vocatio ad munus* nuncupatur : non autem de illâ, ſed de hâc ſermonem inſtituimus. *Vnuſquiſque* ἴδιον χάρισμα *proprium donum habet ex Deo : alius quidem ſic, alius verò ſic.* 1 Corinth. C. 7. V. 7. Talenta ſive plura ſive pauciora, ſive majora ſive minora, à Deo acceperunt omnes : non ut in terrâ reconderentur, aut in ſudario reponerentur. *Negotiamini dum venio*, Matth. C. 25. Luc. C. 19. Hæc talenta vires ſunt ſeu facultates, quibus non ad otiandum, ſed ad operandum Deus homines inſtruxit. *In ſudore vultus tui veſceris pane*, Gen. C. 3. V. 19. De quo loco Reverendiſſimus in Chriſto Pater *Robertus Sanderſonus* Epiſcopus *Lincolnienſis*, Serm. 4. ad Populum, in 1. Corin. C. 7. V. 24. inter alia dicit : *Eſt Maledictio,*

Pro-

Promiſſio, Præceptum. Maledictio eò quòd terram citra ſudorem noſtrum panem ſuppeditare non permittit Deus : promiſſio, quoniam de pane ut ſudoris præmio nos certos reddit : præceptum etiam, quia panem modò conſequi velimus, ut pro eo ſudaremus, præcipit. Quod confirmatur ab Apoſtolo, 2. Theſſal. C. 3. V. 10. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Imò, ipſa innocentia à labore non fuit aliena, ſed ipſi dicata fuiſſe videtur. Nam, *Tulit Deus hominem* [nondùm lapſum] *& poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum*, Gen. C. 2. V. 15.

Operationum verò genera ſunt multa, earúmque complexus varii ; quorum alii ad hunc finem alii ad illum collimant, & quorum aliis alii ſunt addicti ; & illud vitæ genus, quod aliquo determinato operationum complexu ad certum finem reſpiciente gaudet, *vocatio* dicitur, ídque quoniam vel electio propria, vel aliorum voluntas, vel dotes, quæ ad omnes actiones obeundas, haud aptæ ſunt ex æquo & idoneæ, ad illud ſuſcipiendum nos invitant & quaſi *vocant*. Sua verò cuique debet eſſe vocatio, (ut *Abel fuit paſtor ovium, & Cain agricola*, Gen. C. 4. V. 2.) quoniam omni vocationi nemo

ſufficit,

ſufficit, alicujus capax eſt omnis, & qui pro capacitate vocationem non amplectitur, ſuis abutitur viribus, utpotè quæ ad operandum quàm optimè ſunt inſtitutæ. Nam cùm vires ad certum vitæ genus determinantur & quaſi reſtringuntur, operationes ad illud ſpectantes ſunt accuratiſſimæ, earúmque ſucceſſus fœlicibiſſimus : cùm verò vocationis alicujus limitibus non circumſcribuntur, plures quidem, ſed exactæ non ſunt, & eventus plerúmque infauſtus. Ὁ πένταθλος (ut, *Photio* referente, Bibliothec. Cod. 259. docent *Pythagorei*) πάσας ἔχων τὰς δυνάμεις, ἐν ἑκάστῃ ἥττων ἐστὶ τοῦ ἕν τι ἐπιτηδεύοντος τῶν ἀθλημάτων, hoc eſt, *Quinquertio, omnes habens virtutes, in ſingulis tamen minor eſt eo, qui unum tantùm certaminis genus exercet.* Eſt *Hebræorum* Proverbium, *Non vicit me quiſquam unquam, niſi Dominus artis unius.* Finitæ noſtræ facultates pluribus ſunt impares, iiſque diſtrahuntur, ſed certo alicui actionum generi totæ vacantes, illas præſtant & eximias & fortunatas. Nonnullorum quidem, (quamvis pauci ſint) vires egregias pluribus vocationibus ſufficere haud negârim : ſed, quot vocationes ſunt, quibus obeundis pares ſunt vires, illæ omnes pro unâ cenſendæ ſunt.

F Suæ

Suæ verò vocationi cuique ſedulò incumbendum eſt. *Unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat*, 1. Corin. C. 7. V. 20. In vocatione permanere, eſt illius actionibus diligentem navare operam, non extra limites illius temerè vagari, aut otiari, quod *multam malitiam docuit*, Eccleſ. C. 33. fuit iniquitas *Sodomæ*, Ezech. C. 16. faſtidium parit, infinita penè deſideria ſuggerit, eáque vana, inutilia, noxia. *Sicut per rimam ſentinæ* (inquit *Bernardus*, Serm. de S. *Andreâ*) *aqua latenter intrat, & excreſcit, donec navis per nautarum incuriam demergitur : ita ex otio atque ignaviâ cogitationes pravæ, & concupiſcentiæ multiplicantur, donec navis cordis iis, ſuccumbens in peccato periclitatur.* *Semper* (inquit *Hieronymus*) *boni aliquid operis facito, ut Diabolus te ſemper inveniat occupatum.* Incumbendum eſt autem vocationi, ut opes acquirantur, & acquiſitæ commodè adminiſtrentur, conſerventur, aut etiam augeantur. Non divitias quidem, (ut alibi demonſtravimus) ſed vocationis opera, quibus illæ parantur, adminiſtrantur, conſervantur vel augentur, amare licet. *Superat opus materiam.* Quamvis autem vocationi ſedulam operam dare opor-

oporteat; ludi tamen non ſunt omittendi. *Ludere* Sacris in Literis nunc eſt idola colere, nunc coire, nunc interficere; interdùm imponere, nonnunquam jocari, aliquandò lætari ſive licitè ſive illicitè, deniquè exerceri. Quas omnes ſignificationes fuſiuſculè recenſet & explicat *Alphonſus Mendoza* Q. 8. Expoſitiv. Nobis ludus eſt, quicquid præter ſeria vocationis opera, ad mentem honeſtè relaxandam & exhilarandam modo quovis aptum eſt, eúmque omnibus tranquillitatis ſuæ ſtudioſis, ut perutilem & neceſſarium commendamus. Etenim, quoniam limitatæ ſunt vires noſtræ & laſſitudini obnoxiæ; & quoniam obortâ laſſitudine, animus non tam ad hilaritatem quàm ad mœſtitiam proclivis eſt; quamprimùm nobis occupatis in ſeriis propriæ vocationis operibus laſſitudinem obrepere ſentimus, iis ſuperſedendum eſt, & confugiendum ad ludos, quibus vires reſarciamus & mentem quaſi reficiamus. Terminus operum vocationis eſt laſſitudinis initium, tum quia quicquid intra propriam vocationem ſeriò fit viribus jam labefactatis, imperfectum eſt, non accuratum: tum quia ſeria mentis applicatio ad operandum cùm vires labaſcunt,

ipſi creat moleſtiam quàm facillimè. Atque idem laſſitudinis initium, eſt ludendi exordium, tum quippè reparari vires incipit eſſe neceſſarium. Viribus autem reparatis & ludendo reſtitutis, ad conſuetum vocationis laborem redeundum eſt. *Quod caret alternâ requie durabile non eſt.* Ad ludendum quidem haud nati ſumus, ſed ad laborandum; δεῖ τοὺς γινομένους, μέχρις ἂν ζῶσι, πονεῖν, ut docet *Menander*; verùm, ludendum eſt, ut laboremus. Qui laboribus ſuis modum ponere neſciunt, vires corporis labefactant, morbos accerſunt, quicquid jam defatigati moliuntur, idipſum mancum reddunt, &, viribus tandem proſtratis, propria ſua munia obire nequeunt, ſerenitati deniquè mentis malè conſulunt. Cùm verò labor & ludus alternatim ſeſe excipiunt, robur integrum conſervatur, & tam inter laborandum quàm inter ludendum vegeti ſumus, alacres & hilares. *Quia ei*, (inquit *Plato*, 8. de Republ. C. 3.) *qui laborat, neceſſaria eſt requies, & ludus requietis cauſâ comparatus eſt, negotiáque cum labore & contentione animi conjuncta ſunt: ob eam cauſam jocus adhibendus eſt, obſervatâ uſus ejus occaſione, ut tanquam medicinæ loco adhibeatur.* Rurſùs,

C. 5.

C. 5. *Ludus relaxationis causâ comparatus est, & relaxatio voluptate afficitur: quippè quæ molestiis iis, quæ ex laboribus capiuntur, medicinam afferat.*

Aphorismus Sextus.

Bona aliorum de nobis opinio non est negligenda.

FAmam esse servandam, est inter Regulas Canonicas *Damasi* Vet. J. Ecclesiastici & Canonici D. Nonagesima prima; ubi dicit: *Si possibile sit alicui conservare famam suam, & non servat, crudelis est.* *Nescio* (inquit *Rabanus* in hæc verba *Matthæi*, *Gaudete & exultate*) *quis nostrum possit implere, ut laceretur opprobriis fama nostra, & exultemus in Domino. Eleganter enim in quodam volumine legimus, quòd si non quæras gloriam, tamen dolebis, cùm inglorius fueris.* Et *Damaso* & *Rabano* sapientior: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super argentum & aurum gratia bona*, Proverb. C. 22. V. 1. In quem locum ità commentatur *Mercerus*: *Non sat*

est homini virtus & virtutis studium, sed famâ etiam opus est rectè facta approbante. Quid ita? Extra nos est aliorum de nobis opinio. Quisque suâ ipsius opinione beatus est vel miser: verùm, judicium alienum ut nos nec bonos vel malos: ita nec beatos reddit vel miseros. Virtus est amplum sui præmium, & ad benè beatéque vivendum satis. Quid alii itaquè de nobis & actionibus nostris sentiunt, non est magnoperè curandum. Non est quidem quòd *Eremitæ* & *Anachoretæ*, utpotè ab hominum commercio divulsi, magno æstiment alienas opiniones; qui verò in societate degunt, & in ipsâ certum vitæ genus susceperunt, iis perutilis est bona aliorum de se opinio, ut fœliciùs vocatio suum sortiatur effectum. E. g. Si Medicus habeatur iniquus, ignavus, aut imperitus, à nemine consulitur: sin probus, sedulus & peritus, ad illum catervatim confluunt ægroti: illius vocatio fine suo frustratur; hujus, cum fructu exercetur. Atque ita, quâvis in arte, quos bonos esse, diligentes & gnaros opinantur, ad eos se recipiunt homines, ad alios non accedunt. Imperiti, quia periti, rerum omnium copiâ circumfluunt: periti, quia impe-

imperiti habentur, pane destituuntur. Verum est istud *Marci Antonini* πολυθρύλλητον: τὸ πᾶν ὑπόληψις. Ut itaquè nostra vocatio non sit otiosa, sed & nobis & aliis utilis, quantum in nobis est, ut de nobis alii benè sentiant, curandum est; undè & aliud, ídque non contemnendum, exurgit commodum: Alii nimirùm non tam ad injuriam nobis inferendam, quàm ad benefaciendum sunt propensi. *Qui famam suam spernit, vel sceleratus est, vel inhumanus*, inquit *Didac. Stella* de contempt. vanit. Mund. p. 1. C. 12. Φρόντιζον περὶ ὀνόματος, Sirach. 41. 5. *Tres sunt coronæ* (inquit *R. Simeon* in *Pirke Avoth*, C. 4.) *scilicet corona legis, sacerdotii, & imperii: verùm corona bonæ famæ illustrior longè & pretiosior his omnibus est.* Quod optimum quidem videtur, id esse debet νόμος ἀπαράβατος, *Lex inviolabilis*, (ut sanctissimè monet *Epictetus*, Ench. C. 75.) & fœlicitatem admodùm incerto aliorum judicio nitentem (si fas sit, quod ab eo pendet, fœlicitatem appellare) ut valdè precariam, inconstantem & tremulam non probamus. Aliorum opinio nec est actionum *regula*, nec *basis* fœlicitatis: quò solùm *Epictetum* respicere putamus, cùm dicit C. 74. *Quicquid de te dictum fuerit, id nè curato.*

rato. Unumquemque verò, quoad commodè & licitè fieri poteſt, prudenter ita ſe gerere, réſque ſuas adminiſtrare oportet, ut bonam de ſe aliorum opinionem mereatur & lucretur, effugiat malam, nè vel ipſum alii incommodis afficiant, vel ipſè nec ſibi nec aliis prodeſſe queat, quantum freto bonâ opinione facilè liceret. Quòd ſi bonum amplexemur, illúdque amplexando beatè vivamus, quamvis alii de nobis malè ſentiant & loquantur, (ut ſæpè fit) officio defungimur, (quod *murus aheneus eſto*) noſtras ipſorum liberamus animas, & aliorum errores nec probitatis amorem ſuperare, nec fœlicitatem expugnare demonſtramus.

Ut autem bona aliorum de nobis opinio, contrariæ : ita corporis pulchritudo, & lautiora cùm veſtimenta, tum domus & ſupellex, quatenùs aliis placent, adverſis, quatenùs diſplicent, ſunt anteferenda.

Deformitas ingrata eſt, diſplicet; pulchritudo placet & delectat, ſive ſit opinionis filia, ſive parentes agnoſcat alios :

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Quo-

Quocircà, corrigenda eſt deformitas, aut prudenter occultanda, aut morum honeſtate ſupplenda. Eâdem ratione, ſi fieri poteſt, veſtitus ornatior ſordidiori, & concinna domus & ſupellex, oppoſitis ſunt præferenda. De homine quidem ſecundùm externam formam judicare, veſtimenta, aut domum & ſupellectilem, ſtultum eſt: ſed, cum ſtultis vivimus, quibus, quia incommodare poſſunt, nè incommodent, quoad per morum integritatem licet, placere prudentis eſt & ſuæ tranquillitati conſulentis. Atque hìc ordinem obſervari volumus; Aliorum opinio vocationi, opibus vocatio, valetudini opes, animo inſervit valetudo. *Primo loco in diviſione recenſet corpus, quòd propter id, iis egere cæpimus, quæ in noſtrâ poteſtate non ſunt*, inquit *Simplicius* in 1. C. Enchir. *Epicteti*.

Aphoris.

Aphorismus Septimus.

Privata vita publicâ potior.

VIta quidem publica, ſplendida eſt; privata, obſcura; illa pluribus & majoribus, hæc paucioribus & minoribus, aliis benefaciendi fruitur opportunitatibus: verùm, ſi tranquillitatis habeatur ratio, ad illam conducit vita, publica minùs, privata magis. Illud vitæ genus alligatur negotiis magnis, multis, difficilibus; urgetur viſitationibus frequentibus, importunis ſolicitationibus, moleſtis interpellationibus; aliorum invidiâ & ſuo premitur timore; Ipſi adulatio penè neceſſaria eſt, graves ſuſpiciones valdè familiares, lites & contentiones comites ferè inſeparabiles. Quiſquis inſuper vitæ publicæ ſuam navat operam, quodammodò totus extra ſe fertur; & tot tantíſq; occupationibus diſtricto, ad ſe redire, ſe contemplari, & valetudini ſuæ conſulere non vacat. Deniquè, quamvis vitæ publicæ finis ſit admodùm laudabilis, nempè bonum Reipublicæ;

licæ; ejus tamen actiones omnes tot invidos habent obſervatores & ſcrutatores, qui vel optimas in malam accipiunt partem, ut non infrequenter maximâ ignominiâ, jacturâ rei familiaris, vel etiam capitis damno compenſentur. Ex adverſo, vitæ privatæ negotia ſunt exigua, pauca, facilia; viſitationes nec frequentes nec ſolicitationes importunæ, nec interpellationes moleſtæ; procul invidiâ, metu, ſuſpicione, rixis & jurgiis, adulatione non indiget; hominem ſeſe intueri, & corporis ſaluti proſpicere, permittit; illiúſq; præmium ac merces, non eſt aura popularis, quâ nihil inconſtantius, ſed illâ multò præſtantior, ſecura quies; non famæ, rei familiaris aut vitæ periculum, ſed horum omnium, tacita quidem, verùm placida & jucunda fruitio. Certè, amica vitæ privatæ ſilentia ſunt publicæ tumultu, turbâ & ſtrepitu longè potiora; & non pauci, qui huic aliquandò operam dederunt, moleſtiam experti, illam declinârunt, & ad privatam, ut portum & tutum & amœnum ſeſe receperunt. Vitam publicam utut ſuſpiciant & venerentur mortales; tamen,

—Invidiâ, ſeu fulmine ſumma vaporant,
Plerumq; & quæ ſunt altis magis edita cunque,

Ut

Ut canit *Lucretius*. Ad illam provecti, superbiâ & fiduciâ intumescant; meminerint tamen quod olim tradidit *Ovidius Naso* :

—Summa petit livor, summisq; negatum
Stare diù : nimióq; graves sub pondere
lapsus.

A vulgo fœlices habeantur, nihilominùs,

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus : & celsæ graviore casu
Decidunt turres : feriúntq; summos
Fulmina montes.

Poëtæ concinit *Lactantius* : *Plus habent ponderis ad ruinam, quæ cæteris sunt altiora.* Ac proptereà, ut observavit *Seneca* : *Ad summum quicquid venit, ad exitum propè est.* Magnates hujus sæculi, *propter dolos ponuntur*, [alii vertunt, *in lubricis*] *dejiciuntur dum allevarentur*, Psalm. 72. V. 18. Qualis porrò sit illorum conditio, judicet longè Doctissimus *Verulamius* : *Viri* (inquit Serm. Fidel. 11.) *in magistratu collocati, ter servi : servi Principis vel politiæ, servi famæ, & servi negotiorum. Adeò ut libertate neutiquam fruantur,*

tur; nec in personis, nec in actionibus, nec in temporibus suis. Rursùs : *Ascensus ad dignitates arduus est; & per labores pervenitur ad labores majores.* Et, paucis interpositis : *Sanè, viris in Magistratibus positis, opus est, ut aliorum opiniones mutuentur, quo seipsos beatos putent; nam si judicent ex sensu proprio, nihil hujusmodi reperient : verùm, quandò secum cogitent quid alii de ipsis sentiant, & quàm libenter alii conditiones cum illis permutare vellent, tum demùm beati sunt, rumore tenus : cùm intùs fortassè contrarium experiantur. Siquidem dolores suos primi omnium sentiunt, licèt culpas suas omnium novissimi. Certè viri potestatibus sublimes, ipsi sibi ignoti sunt; & dum negotiis distrahuntur, tempore carent, quo sanitati, aut corporis, aut animæ suæ consulant.* Ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος. *Vita privatorum optima,* inquit *Tiresias* apud *Lucianum.* Sed, surdis fabulam narramus. Mortales *periculum* diligunt, *venenum* sectantur, ambiunt & depereunt. *Mundus* (inquit *Cardanus* in L. 6. Aphor. 28.) *semper est mundus, & homines homines.*

Aphorismus Octavus.

Pauca ſunt agenda.

M*Arc. Antoninus* L. 3. vetat πολυπραγμοσύνην Μητὲ πολυῤῥήμων, μητὲ πολυπράγμων ἔσο: & ὀλιγοπραγμοσύνην præcipit *Democritus*. *Proderit nobis* (inquit *Seneca* de Irâ) *illud Democriti ſalutare præceptum, quo monſtratur tranquillitas, ſi neque privatim, neque publicè multa, aut majora viribus noſtris egerimus.* Rurſùs, de Tranquillit. C. 12. *Hoc ſecutum puto Democritum, ita cœpiſſe; qui tranquillè volet vivere, nec privatim agat multa, nec publicè.* Ὀλίγα πρῆσσε, φησιν, εἰ μέλλεις εὐθυμήσειν, hoc eſt, *Pauca age, inquit* [Democritus] *ſi tibi tranquillitas animi curæ eſt. M. Anton.* L. 4. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii,* Matth. C. 12. V. 36. Multò magìs prohibentur occupationes otioſæ, quæ ſcilicet ſuperfluæ ſunt, ſeu nec ad conſervationem hominis nec ad decentiam ſtatus neceſſariæ. Quæ verò ſuperfluæ, ſunt multæ;

multæ; paucæ, quæ neceſſariæ : illas reſcindere, his ſedulò incumbere oportet. Nam,

Ὁ πλεῖστα πράσσων, πλεῖσθ᾽ ἁμαρτάνει βροτῶν.

Hoc eſt, vertente *Grotio* : *Peccare quiſque plus ſolet, quò plus agit* : Et, pauca ſunt agenda, ut ſalva ſit εὐθυμία. Negotia non-neceſſaria, quæ multa ſunt, mentem gravant, onerant, diſtrahunt; &, ut rami inutiles, ſucco ſuo fraudant reliquos : ita ſuperfluæ occupationes ad ſe curam attrahunt, quam neceſſariis impendi oportuit. Undè *Agatho* aqud *Athen.* Dipnoſoph. L. 5. & *Clemens* Strom. L. 5.

Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς, ποιούμεθα,
τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα. i. e.

Operoſè id agimus, agere quod non eſt opus:
At in eo quod opus eſt, opera perfunctoria eſt.

(ut reddit *Grotius*) quod tandem in mentis perturbationem deſinit. *Plutarchus* quidem illud *Democriti* præceptum de paucis agendis, L. de Tranquillitate, planè rejicit : Veruntamen rectè *Euripides* :

Ὁ πολλὰ πράσσων, οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ βίῳ;

Res agere multas, tuta vitæ haud eſt via.

Anima multis occupata negotiis, *non bonam rem facit, ſtulto labore conſumetur,* (quod *Moſi* univerſas populi lites cognoſcere volenti, à *Jethrone* dictum fuit, Exod. C. 18.) ſaltem, ut *Martha, turbatur erga plurima,* Luc. C. 10. V. 41. Prudenter monet *Sirachides,* C. 11. V. 10. *Fili, nè in multis ſint actus tui.* Vires noſtræ unitæ & ad pauca contractæ, fortiores ſunt & optatum finem frequentiùs adſequuntur; in multa verò diviſæ, imbecilliores, & ut plurimùm ſpe ſuâ fruſtrantur; ut qui duos inſectatur lepores, neutrum capit; undè mentem perturbari neceſſe eſt. Num verò περισσεία κακίας, quam Apoſtolus *Jacobus,* C. 1. V. 21. abjiciendam eſſe judicat, ſit iſtud vitium, quo, non contenti neceſſariis, quæ pauca, in ſupervacaneis, quæ multa ſunt, occupamur, *Theologis* dijudicandum relinquimus. Quod tamen dicit *Sirachides,* C. 38. V. 24. citra obſervationem haudquaquàm prætereundum eſt, nimirùm, ὁ ἐλαττούμενος πράξει αὐτοῦ, σοφισθήσεται, id eſt, *Qui minoratur actu, ſapientiam percipiet,*

cipiet, vel, ut vertit *Vatablus*, *Qui negotii sui minus habet, ſapientiam parare poterit.* Quò facit *Hillel: Qui multùm negotiatur, non evadet ſapiens.* Quòd ſi legamus, οὐ σοφισθήσεται, ut habent Editiones nonnullæ, eodèm tamen redibit ſenſus, quoniam additâ negatione, verba ſunt reddenda: *Qui ſuis opprimitur negotiis, non parabit ſapientiam.*

APHORISMUS Nonus.

Arcana non ſunt revelanda.

MUtuam hominum amicitiam ad eorum pacem & quietem maximoperè conducere; illam verò quæ præcidunt, tranquillitatem turbare & impedire, manifeſtum eſt. Inter ea verò, quibus hominum abrumpitur amicitia, arcanorum revelatio locum obtinet haud poſtremum; eſt enim amicitiæ vulnus prorſùs lethale, in eámq; peccatum irremiſſibile. Ita *Sirachid. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum ſuum. Dilige proximum, & conjungere fide cum illo. Quòd ſi denudaveris abſconſa*

illius, non persequeris post eum. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu suâ, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies. Non illum sequaris, quoniam longè abest : effugit enim quasi caprea de laqueo : quoniam vulnerata est anima ejus : ultrà eum non poteris colligare, C. 27. V. 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23. Arcana retegendo, spes omnis amicitiam redintegrandi funditùs evertitur ; & proditor, illi, cui denudavit, redditur exosus. Interdùm placet homini proditio, proditori verò confidit nè ille quidem, cui utilis est proditio, quin eum potiùs magno prosequitur odio : quantò magis illum detestabitur, cui utilitas proditionem commendare nequit, & eum quantò magis adhuc abominabitur, qui proditioni suam debet perniciem. *Celare secreta proximorum* (inquit *Cornelius à Lapide* in modò citatum caput *Sirachidis*) *est res necessaria ad hoc, ut homines in pace & tranquillitate vivant, útque mutua hominum conservatio tuta servetur. Si enim homines hominum secreta detegerent, maxima indè perturbatio, imò societatis humanæ eversio sequeretur.* Odium, quod maximè

ximè meretur & efficit arcanorum proditio, haud exiguum est, sed ingens ; non evanidum, sed permanens ; ac propterea lites immortales, rixas, jurgia, tumultus & clades progignit, nutrit, &, ut in immensum crescant, facit.

Aphorismus Decimus.

De nemine mala dicenda.

NEmo vel ad securitatem omnis incommodi incapacem provehitur, vel ad eum deprimitur statum, in quo alteri aliquandò incommodare nequeat. Ac proindè, quisquis suæ serenitatis studiosus est, hanc incommodandi potentiam, quæ omnibus communis est, neutiquam irritabit. Inter ea verò, quibus irritatur, & lingua sibi locum postulat. Est quidem lingua *membrum modicum*, sed μεγαλαυχεῖ, *sese effert magnificè*, est *malum inquietum & indomitum*, *totum corpus maculat*, est *ignis inflammans rotam nativitatis nostræ*, *veneno mortifero repletur*, estque tam ἀτυχίας, quàm ἀδικίας κόσμος, *Univer-*

sitas, Jacob. C. 3. *Qui* verò *custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam*, Prov. C. 21. V. 23. *Quis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos? Probibe linguam tuam à malo : & labia tua nè loquantur dolum*, Psalm. 33. *Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir. Potest enim fræno circumducere totum corpus*, Jacob. C. 3. V. 2. Summatim, *Mors & vita in manu linguæ*, Proverb. C. 18. V. 21. Ad hanc confert vel bona dicendo, vel mala tacendo; ad illam, mala loquendo. Alii sunt aut boni, aut mali; si boni, de ipsis cur mala loqueremur? Si mali, ἐυφημίαν quidem haud merentur, sed de illis tamen quid opus est ut mala dicamus? Mala dicendo, præter inimicitiam quid aliud lucramur? Mali sunto; nobis fortè tales non sunt, nisi non-necessariâ sermonis veritate tales ipsos reddamus. Verùm, nobis jam sunto mali, hoc est, inimici; de illis ipsis mala loquendo, crabrones irritamus, ipsósque ad inimicitiam longè graviorem provocamus, stimulamus & exacerbamus. Quot tumultus, clades & tragœdias excitavit hæc mala dicendi licentia? Quot viros egregios, familias illustres, Regna viribus, divitiis & gloriâ florentia,

rentia, diruit funditùs & pessundedit lingua sui profusa? *Parva verba multoties homicidium perpetraverunt, & civitates integras everterunt*, inquit *Joh. Chrysostomus* in Matth. C. 5. Certè, haud exiguam calamitatum nostrarum partem, intemperantiæ linguæ acceptam ferimus; & nos ad ærumnas non rarò perducunt verba, quæ nos dixisse ipsi obliviscimur, alii verò recordantur. Cùm tenacitate destituta non sit aliorum memoria, quòd *vox audita perit*, temerè statuimus. Si pax itaque & quies tibi sint in votis, de aliis, id modò veritas permittat, bona dicito:

Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

Hostes tibi vel è vilissimis homuncionibus, verbis, quæ cohibere facilè est, revocare impossibile, creare, aut ad odii gradum sæviorem proritare, stultum est, & nusquam tutum.

—Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Lingua hominis est ruina ipsi, Sirach. C. 5. V. 15. Quocircà, ut monent *Arabes*, *Cave nè feriat lingua tua collum tuum.*

Aphorismus Undecimus.

Injuria nemini inferenda.

INjuriam omnem malam esse & à naturâ vetitam, nullus non agnoscit; de eâ verò, nec quatenùs est mala, nec quatenùs ipsam prohibet natura, sed ut ad animi perturbationem facit, hìc loci disserimus. A naturâ, Deo instituente, ita comparatum est, ut quo aliis incommodamus, id & nobis ipsis incommodet; ut, si non proximi, sui saltem amor, ab aliis incommodando dissuaderet. Quemadmodùm *Samson* tam se ipsum quàm *Philisthæos* interemit: ita & injuria tam ei qui infert, quàm cui infertur, incommodat. Etenim, injuria creat inimicos, qui vindictam nunquam non meditantur, nunquam non machinantur; & nullus adeò abjectus est, ut ejus odio & malevolentiâ non periclitetur alterius vel fama, vel opes, vel etiam vita. Inimicos, inquam, creat, quamvis uni tantùm inferatur; nam, ut dicere solebat *Florianus Imperator: Multis minatur,*

qui

qui uni facit injuriam. Cùm odio quempiam habemus, illius famam denigrare, & credulos reperire quàm facile est? Hostis sui divitias vel furto surripere, vel incendio perdere difficile non est: & odium hominis eousquè potest invalescere, ut mortem alterius, vitæ suæ præferat; & quisquis huic illam anteponit, aliquandò vitæ alienæ Dominus est. Monarchæ vel potentissimi mancipiorum vilissimorum manibus odio venenatis perierunt. Divitiis affluant mortales, honoribus abundent, vigeant potentiâ; ab insidiis tamen, quas odium struere & potest & solet, nihil tutum est, nihil securum. Quòd autem nemo adeò pusillus est, ut contemni mereatur, doceat hæc *Æsopi* Fabula: *Scarabæus aliquandò spretus ab aquilâ, cœpit de vindictâ quoquo pacto sumendâ cogitare. Pervestigavit ubinam aquila nidum collocâsset: arrepsit scarabæus, & ova simili dolo dejecit. Aquila, cum sæpiùs domicilium commutâsset, neque quicquam proficeret, Jovem patronum adiit, exponit calamitatem suam: is jubet ut suo in gremio ponat ova, vel istbic in tuto futura. Et huc per vestis lacinias sinúsque prorepsit pertinax scarabæus, haudquaquàm sentiente Jove. Deinde ubi videt ova commoveri*

 Jupiter,

Jupiter, neque satis animadverteret undè, territus rei novitate, excusso gremio, in terram dejecit. Ὁ νῦν μὲν οὐδεὶς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας, *Qui nullus hodiè, cras futurus summus est, Aristophan.* Neminem contemnendum esse, monet *Azæi filius*, quia *Nemo est cui non sit hora sua*, hoc est, qui per occasionem nocere non possit. *Malefacere qui vult* (inquit *Publius*) *nusquam non causam invenit.* Et, ut docet *Seneca* in *Medeâ*, *Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.* Nostrâ quapropter interest nemini incommodare, nè in eandem, vel similem, quam aliis paravimus, foveam prolabamur; nè malum, quod molimur, in caput nostrum aliquandò recidat. οὐδεὶς ἀνθρώπων, ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει, uti refert *Herodotus* ex veteri Poëtâ. Talionis legem, humanam fragilitatem nemini non obnoxiam, & odii vires & astutias ob oculos ponamus, & à vel minimâ injuriâ aliis inferendâ nobisimet ipsis abundè cavebimus. *Amicos*, etiam *de Mammonâ iniquitatis facere* oportet, Luc. C. 16. V. 9. Inimicos verò facere, nec ullibi præcipitur, nec è re nostrâ est. Sanè, sortis suæ obliviscitur, & quot modis vires humanæ, etiamsi maximæ, eludi possunt, non satis animadvertit, qui, susquè dequè habito aliorum

rum odio, de cuivis inferendâ cogitat injuriâ. Ab iniquitate liberetur injuria; ſit fama inviolabilis; opes ſunto ſtabiles, perennes, & furto, rapinæ aut incendio non obnoxiæ; eſto deniquè potentia inexpugnabilis; ac tum demùm aliis injuriam inferre ſtudeamus: Sed, intereà temporis, noſtræ ſaluti, non incommodando alienæ, conſulamus.

Circumretit enim vis atque injuria quemque,
Atque undè exorta eſt, ad eum plerumque (revertit.
Nec facile eſt placidam ac pacatam degere (vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Ac licèt is fallat Divûm genus humanumq;
Perpetuò tamen id fore clam diffidere debet.
Lucret. L. 5.

Qui fodit foveam, incidet in eam, Eccleſiaſt. C. 10. V. 8. Et *qui volvit lapidem, revertetur ad eum,* Prov. C. 26. V. 27. *Sunt* (inquit *Seneca*) *Dii immortales lenti quidem, ſed certi vindices generis humani: & magna exempla in caput invenientium regeſſerunt, ut juſtiſſimâ patiendi vice, quod quiſque alieno exco-*

excogitavit supplicio, sæpè excipiat suo. Λυποῦντα τὸν πλησίον, οὐ ῥᾴδιον αὐτὸν ἄλυπον εἶναι, h.e. *Aliis molestus haud facilè ipse molestiis carebit*, ut *Demophilus* observavit.

Aphorismus Duodecimus.

Ingratitudo fugienda.

INjuriæ sunt vivaces, beneficia verò quàm citissimè senescunt & moriuntur: illis longævitatem dat pertinax vindictæ cupiditas; his senectam celerem & mortem, vitium vulgare nimis, sed prorsùs inhumanum & barbarum, ingratitudo: quæ quomodò tranquillitati humanæ præjudicat, verbis *Ciceronis* & *Senecæ* breviter enarramus. *Omnes*, (inquit *Cicero* 2. de Offic.) *immemores beneficii oderunt*: & *Seneca* de Benefic. *Per se fugienda res est, ingratum esse: quoniam nil æquè concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium.* Odio gravi pax nostra periclitatur, idque merendo & accersendo, ingratitudo paci adversatur.

Quà

Quâ ratione verò arcanorum revelationem, maledicentiam, injuriam atque ingratitudinem devitare oportet; eâdem, observare debemus quæ passim occurrunt monita, quibus obtemperando sumus ἀπρόσκοποι, [1. Cor. C. 10. V. 32.] seu, *nemini damus ullam offensionem*, [2. Cor. C. 6. V. 3.] qualia sunt: Seipsum nemo laudet; Ad concilium nè accesseris, antequàm voceris; Beneficia commemorare noli; Ut hospes nullibi diutius morare; *Discubitus in panibus* [Sirach. C. 41. V. 24.] vitandus; Salutantes resalutandi; Rarum facias pedem tuum in domo proximi tui, Prov. C. 25. V. 17. & similia. Pauca recensuimus; propria cujusque experientia plura suppeditabit.

Aphorismus Decimus tertius.

Omnibus benefaciendum.

Ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας: *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, Galat. C. 6. V. 10. Sive boni sint, sive mali, sive divites, sive pauperes; sive

ſive inimici, ſive amici. Inter modos, quibus homo ſeipſo melior evadit, ex ſententiâ *Pythagoreorum*, (uti refert *Photius*, Biblioth. Cod. 259.) ſecundus eſt, τὸ εὖ ποιεῖν, θεοῦ γὰρ τοῦτο, καὶ θείας μιμήσεως, *Hoc enim Dei proprium eſt, & in eo Deum imitatur.* Sed, & noſtra ipſorum tranquillitas poſtulat, ut omnibus benefaciamus. *Nullum unquam hominem contemnas* (uti jubent *Hebræi*, Avoth. C. 4.) *nec ullam rem unquam abjicias: cuilibet enim homini ſua eſt hora, & cuilibet rei ſuus locus & uſus.* Qui alterum nullo pacto aliquandò juvare nequit, non eſt. Muſculus Leonem laqueis aſtrictum, illis corroſis periculo liberat. Et, nulli ſunt, quibus prodeſſe, noſtrâ non intereſt. Ut enim omnibus prodeſſe poſſumus: ità nobis omnes incommodare poſſunt: ac proindè noſtrâ refert pro virili ſingulos juvare, & juvando, amoris vinculo nobis devincire. A quovis, haberi odio, periculoſum eſt, ab omnibus amari tutum. Optimum eſt ſecuritatis noſtræ præſidium, illorum, qui nobis incommodare poſſunt, amor, quem ipſis benefaciendo, prout poſſumus, nobis conciliamus. Metuat aliquos neceſſe eſt, qui omnes amore non proſequitur. Ut ab omnibus ameris, eſto amabilis omnibus,

bus, hoc eſt, cunctos diligito, ſeu illis benefacere ſtudeto. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum : ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*, Roman. C. 12. V. 20, 21. *Nihil* (inquit *Eraſmus* in verſum priorem) *videtur accommodatius doctrinæ Chriſtianæ, ſi intelligamus benefactis obruendum inimicum, quò tandem riſipiſcat, & meritis bonitatéque noſtrâ victus, ex hoſte fiat amicus.* Ut igne corpora duriora : ita beneficentiâ, inimicorum emollitur animus. Quòd ſi beneficentiâ, inimicorum odium in amorem tranſmutetur, quantò magis benevolentiam aliorum procreabit ? *Amor* autem *magnum ſatellitium*, inquit *Saloninus Valerianus*; & *Cicero* 1. de Finib. *Laus & charitas ſunt vitæ ſine metu degendæ præſidia firmiſſima. Ciceroni* ſuffragatur *Claudianus :*

Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela,
Quàm tutatur amor.———

Ut verò cunctis benefaciamus, neceſſarium eſt τὸ πρὸς πάντας ἐυάρμοστον, h. e. *Mores omnibus accommodati*, ut loquitur *Marcus Antoninus*,

L. 1.

L. 1. N. 9. Hæc autem τῶν τρόπων εὐαρμοστία est (*Gatakero* definiente) *ars quædam, nec contemnenda, nec obvia passim, eòque laude dignior, quò plerumque rarior, comparet, accommodandi sese gnaviter citra decori leges imminutas quibuscunque, ad ipsorum, quibus id datur, emolumentum procurandum, offensionémve declinandam.* In hâc arte egregiè versatus fuit *Apostolus Paulus. Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse sub lege non essem) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos,* 1. Corin. C. 9. V. 19, 20, 21, 22, 23. Rursùs: *Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Ib. C. 10. V. 32.

Quamvis autem omnibus benefacere oporteat, beneficia tamen dextrè sunt accipienda:

enda. Ἡ χάρις (inquit *Plutar.* de *Socrat.* Gen.) οὐχ ἧττον δεομένη τοῦ λαμβάνοντος ἢ τοῦ διδόντος, ἐξ ἀμφοῖν πληροῦται πρὸς τὸ καλόν. ὁ δὲ μὴ δεξάμενος, ὥσπερ σφαῖραν εὖ φερομένην, κατῄσχυνεν ἀπελθοῦσαν. *Senecæ* placet hæc ſimilitudo : *Volo* (inquit de Benef. L. 2. C. 17.) *Chryſippi noſtri uti ſimilitudine de pilæ luſu : quam cadere non eſt dubium aut mittentis vitio, aut accipientis: tunc curſum ſuum ſervat, ubi inter manus utriuſque aptè ab utroque & jactata & excepta verſatur.* Inprimis verò cavendum, nè accipiendo vileſcamus. καὶ τὸ μαθεῖν (inquit *Marcus Antoninus*, L. I. N. 8.) πῶς δεῖ λαμβάνειν τὰς δοκούσας χάριτας παρὰ φίλων, μήτε ἐξηττώμενον διὰ ταῦτα, μήτε ἀναισθήτως παραπέμποντα, hoc eſt, *Prætereà modum* [ab *Apollonio* didici] *beneficia (ut iis videntur) ab amicis accipiendi, nè vel accepta ea nos viliores redderent, vel ſtupidè negligerentur atque prætermitterentur.*

Aphoris.

Aphorismus Decimus quartus.

Cui pecuniam mutuemus, cavendum.

UT ad tranquillitatem conducunt opes & amicitia : ita ad perturbationem facit illorum jactura; cujus periculum incautè pecuniam mutuando creatur. Etenim, ſæpè cùm nummos, tum amicum perdimus; & ab inimico non niſi convitia, aliáſque injurias expectare oportet. *Omnis mutui dationis principium eſt amicitia, finis contentio*, inquiunt *Hebræi*; & *Plautus : Si quis mutuum dederit, fit pro proprio perditum. Nam ego talentum, mutuò quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.* Periculum egregiè deſcribit *Sirachides*, C. 29. *Multi* (inquit) *quaſi inventionem æſtimaverunt fœnus, & præſtiterunt moleſtiam his qui ſe adjuverunt. Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam : & in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædii & murmurationum, & tempus cauſabitur : ſi autem potuerit*

tuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inventionem: sin autem, fraudabit illum pecuniâ suâ, & possidebit illum inimicum gratis: & convitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. Quapropter multi non causâ nequitiæ non fænerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. Ubi *inventio* pro *re inventâ*, (quam vulgus in jus invenientis cadere existimat) & *fænus* pro *mutuo* ponitur, ac *fænerari* est *mutuum dare*. Quæ narrat hic *Sirachides*, accidunt ut plurimùm, aut quoniam illi, qui mutuum accipit, indigentiam suam alteri patere, molestum est; aut quia onus restituendi, quod ipsi incumbit, grave putat; aut quia gratias beneficio majores, ab eo, qui mutuum dat, expectari credit; aut quoniam ad agendas gratias obligatio beneficium duratione superat, (hoc quippe finem agnoscit, illa nescit) quod ægrè ferre solet indoles, cui libertas in votis est. Nam, esse perpetuò obnoxium alteri, libertati nonnihil præjudicare videtur. Aut deniquè, quoniam planè improbus est, qui accipit. *Mutuabitur peccator, & non solvet*, Psalm. 36. V. 21. Solvere non vult, ac propterea illum, qui ad

H solven-

solvendum, ipsum coacturus est, metuit, odióque prosequitur. Quapropter, ut prudenter monet *Ben Syra* : *Si necesse est ut contrahas, accipiendo & dando, esto sors tua cum bono viro.*

Aphorismus Decimus quintus.

Sua cuique dogmata permittenda.

Unicuique, Apostoli vel jussu vel permissu, *in sensu suo abundare* licet, Roman. C. 14. V. 5. ídque suadent cùm magna opinionum nostrarum incertitudo & inconstantia, tum quòd sententiæ nostris diversæ, nobis, nisi noxias ipsi faciamus, innoxiæ sunt ; maximè verò animi tranquillitas, quâ nihil pretiosius. *Erat* olim *terra labii unius, & sermonum eorumdem*, Genes. C. 11. V. 1. Verùm, ex quo fuerunt homines uno plures, eorum non una fuit opinio. Anima quidem hominum, identitate *speciei* gaudet ; quot capita tamen, tot sententiæ : non quasi de certâ re aliquâ plures idem non sentiant, sed quoniam ex omnibus cujusvis

jusvis singularis hominis opinionibus aliquæ, ab aliquibus cujusvis alterius hominis opinionibus discrepant. De annis *Mathusalæ* haudquaquàm desperarem, si ad duorum in omnibus consensum usque mihi vivere liceret. An hæc dogmatum varietas à temperamenti diversitate, vel aliundè proveniat, jam non disputamus : hoc certum est, sententiarum dissidium esse nobis prorsùs inevitabile. Quod probat quòd propter pugnam sententiarum alii alios execrari non debemus; aut quivis est, vel esse debet, *Ismael, ferus homo, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra eum*, Genes. C. 16. V. 12. quia quilibet à quolibet alio, & ab ipso dissentiunt omnes alii. Quemvis autem omnibus aliis, omnésque alios illi bellum indicere, tranquillitati valdè præjudicat. Inter illos enim, quibuscum vivere oportet, ubi mutua viget inimicitia, damna, metus, suspiciones, lites ac jurgia, animi quietem proscribunt, & pacem eliminant. Ex adverso, permissâ cuique opinionibus suis placidè fruendi libertate, utut cerebrum cerebro sit diversum, pace tamen uniuntur corda. Hanc libertatem cuipiam invidendo non tantùm mentis serenitati of-

 ficimus,

ficimus, verùm etiam ipsius naturæ legem violamus. *Omnia quæcunque vultis ut vobis faciant homines, & vos facite illis. Hæc enim lex, & Prophetæ,* [Matth. C. 7. V. 12.] Et, *Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris.* Quemadmodùm itaquè, ut nobis alii nostras permittant opiniones, volumus & unicè desideramus: ita & nos aliis suas permittere oportet. Et, ut non vis ut quisquam propter dogmata tua tibi sit inimicus: ita ob opiniones suas neminem odio prosequaris. *Ramus* (inquit *Marcus Antoninus*, L. 11. N. 6.) *à proximo amputari ramo non potest, quin & à totâ arbore resecetur: sic homo etiam ab uno avulsus homine, non potest non etiam à toto excidisse cœtu. Itaque ramum quidem alius aliquis, homo seipsum à proximo separat, cùm eum odit aut aversatur: ignoratur verò etiam à totâ civili societate si eâdem ratione abrumpitur. Verùm hoc habemus munere Jovis, qui hanc societatem constituit, ut rursùm adcrescere proximo, & explere totum possimus: & tamen si hæc avulsio sæpiùs admittatur, efficit, ut uniri iterùm atque coalescere haud facilè possit id quod erat avulsum: tum verò quod fatentur plantatores, non eadem est ratio rami qui ab initio floruit cum arbore,*

mansitq;

mansitq; in eâ, & ejus qui amputatus, rursùs deindè est insitus. Oportet igitur ὁμοθαμνεῖν μὲν, μὴ ὁμοδογματεῖν δέ, hoc est, *in eâdem arbore esse, etsi non idem cum omnibus sentias.* Apud *Hebræos* idem vocabulum, nempè סעף cogitationem & ramnm significat, quod *Mercerus* in Job. C. 4. V. 13. & Cap. 20. V. 2. observavit. In locum priorem dicit : *Sunt cogitationes, quæ in animâ & intellectu sunt, ut rami in arbore, dum aliæ atque aliæ animo obversantur, ut in arbore radii & frondes variæ hùc illùc disperguntur.* In posteriorem ; *Cogitationes, in quas animus variè distrahitur, cordi sunt quod rami arbori hàc illàc diffusi. Mericus Casaubonus Antonini* verba reddit: *Ex eodem senticeto, non eadem tamen sentire* ; & in *Notis* inquit : *Malui autem* ex eodem senticeto, *quàm aut arbusto, aut arbore dicere, quod illusio Plautina,* τὸ sentire *ex* senticeto (non enim es in senticeto, eò non sentis : Capt. Act. 4.) *derivans, utut festivior quàm verior, ad rei tamen ipsius explicationem non intempestiva videretur. Magna enim in re similitudo, cogitationibus hinc indè variis ac consertis haud secùs in animo, quàm ramis in arbore, aut surculis in arbusto pullulantibus. Hinc apud Hebræos (quorum lingua proprie-*

tates rerum maximè consectatur) eadem radix סעף *& ramum significat & cogitationem.*

APHORISMUS Decimus sextus.

Quod ipse præstare potes, id ab alio fieri nè desideres.

A Deo viribus instruimur, ut ipsas exeramus; viribus instruuntur & alii, ut illas etiam exerant; non ut vel nostræ alienas, vel alienæ nostras reddant otiosas. Cùm opus est auxilio, & nos aliis & alios nobis opitulari, æquissimum est: verùm, cùm eo haud opus est, seu cùm penes nos est, quod alios præstare volumus, turpi laboramus ignaviâ, quâ dotes nostræ, adversùs ipsarum institutum, torpescunt; alios citra necessitatem, quod amori repugnat, quo omnes prosequi debemus, oneramus; &, quod φιλαυτίᾳ naturali adversatur, & hoc in loco præcipuè consideramus, fœlicitati repugnat. Etenim, quamvis quid nos ipsi facturi sumus, modò possimus & velimus, certum sit, tamen quid alii facturi sunt, omninò dubium

est.

eſt. Ac propterea, deſiderando ab aliis fieri, quod ipſi facere poſſumus, in periculum fruſtrationis prolabimur. Undè miſeria neceſſariò exurgit. Elegantiſſimam *Æſopi* de Caſſitâ Fabulam ex *Gellii* L. 2. C. 29. quoniam ad præſens inſtitutum maximè facit, huc transferre libet: *Avicula* (inquit) *eſt parva, nomen eſt Caſſita, habitat nidulatúrque in ſegetibus, id ferme temporis, ut appetat meſſis, pullis jamjam plumantibus: ea Caſſita in ſementes forte conceſſerat tempeſtiviores, propterea frumentis flaveſcentibus, pulli etiam tunc involucres erant. Cùm igitur ipſa iret cibum pullis quæſitum, monet eos, ut ſi quid ibi rei novæ fieret diceretúrve, animadverterent, idque uti ſibi, ubi rediſſet, nunciarent. Dominus poſtea ſegetum illarum filium adoleſcentem vocat, &, Vidéſne, inquit, hæc ematuruiſſe, & manus jam poſtulare? icc irco die craſtino, ubi primùm diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant operámque mutuam dent, & meſſem hanc nobis adjuvent. Hæc ille ubi dixit, diſceſſit: atque ubi rediit Caſſita, pulli trepiduli circumſtrepere, oraréque matrem, ut ſtatim jam properet, atque alium in locum ſeſe aſportet, nam Dominus, inquiunt, miſit, qui amicos rogaret, uti luce oriente veniant*

niant & metant. Mater jubet eos à metu o-ciosos esse: si enim dominus, inquit, messem ad amicos rejicit, crastino seges non metetur, neque necesse est hodie uti vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat, dominus quos rogaverat operitur: sol fervit, & fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium, Amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt, quin potius imus, & cognatos, affines, vicinosque nostros oramus, ut adsint cras tempori ad metendum; Itidem hoc pulli pavefacti matri nunciant. Mater hortatur ut tum quoque sine metu ac sine cura sint: cognatos affinesque nullos fermè tam esse obsequibiles ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, & statim dicto obediant. Vos modo, inquit, advertite, si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta, avis in pastum profecta est: cognati & affines operam, quam dare rogati sunt, supersedent. Ad postremum igitur dominus filio. Valeant, inquit, amici cum propinquis: afferes prima luce falces duas, unam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit. Tempus, inquit, est cedendi & abeundi, fiet nunc dubio procul quod futurum dixit:

xit : in ipſo enim vertitur, cuja eſt res, non alio, unde petitur. Atque ita Caſſita nidum migravit, & ſeges à domino demeſſa eſt. Hunc Æſopi *Apologum* (inquit *Gellius*) Q. Ennius *in Satyris, ſcitè admodùm & venuſtè verſibus quadratis compoſuit : quorum duo poſtremi iſti ſunt, quos habere cordi & memoriæ operæ pretium eſſe herclè puto :*

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum,
Nè quid expectes amicos, quod tute agere poſſis.

Sed, omne fruſtrationis periculum auferatur, tamen, ut *Epictetus* apud *Arrianum*, L. 1. C. 9. ſapienter obſervavit, τῷ ὄντι ὁ ἐξ αὐτοῦ τι ἔχει, περισσὸς καὶ μάταιος παρ' ἄλλου λαμβάνων, hoc eſt, *Qui id quod a ſeſe habet, ab alio ſumit, is omninò vanus eſt atque ineptus.* Ejus quippe vires otio diffluunt & ſegnitie, ab eóque, quamvis nulla urgeat neceſſitas, gravantur alii.

Aphorismus Decimus ſeptimus.

Conſilium ex ſeipſo capiendum.

UT rectè vita inſtituatur, conſilium apprimè neceſſarium eſt; quoniam ad actionis bonitatem plura exiguntur, quorum ſi vel unum defuerit, erit actio non bona, ſed mala. ***Ex integrâ cauſâ bonum; malum ex quolibet defectu***: ut bonum fiat, haud ſatis eſt, verùm ut benè quoque, neceſſe eſt. Ut autem quod bonum eſt, benè fiat, perſona, locus, tempus, aliæque circumſtantiæ concurrant oportet. Si actio perſonæ non conveniat, aut tempus non ſit congruum, aut locus non opportunus, aut finis pravus; quantumvis bona ſit actio, præciſè, ſimpliciter & in ſe ſpectata, quatenùs ab eâ cauſâ proficiſcitur, aut ad talem ſcopum dirigitur, aut debitis temporis & loci circumſtantiis deſtituitur, vitioſa eſt. Quocircà, ad agendum priuſquàm noſmet ipſos applicemus, plura ſunt ſedulò perpendenda; num ſcilicet in ſe bona ſit actio, ſaltem non-mala, num

num congrua nobis, an tempus & locus ipſam diſſuadeant nécne, an deniquè finis ſit legitimus. Citra præviam deliberationem in his facilè peccatur. Actionis intrinſeca bonitas aut non-malitia, illius cum perſonâ congruentia, loci & temporis cum illâ convenientia, & reſpectus ad finem debitum, non temerè aut fortuitò, ſed adhibito maturo coëunt conſilio. Ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος, καὶ πρὸ πάσης πράξεως βουλή, h. e. *Principium omnis operis ratio, & ante omnem actum, conſilium,* Sirachid. C. 37. V. 20.

Conſiliorum verò aliud eſt aliorum, aliud noſtrum; illud haudquaquàm omittendum eſſe cenſemus, quia plus vident oculi quàm oculus, & propriis in rebus cæcutire haud rarò contingit, quod aliorum ſcientiâ & obſervatione emendari & ſuppleri poteſt: verùm, quoniam multi fingunt amicitiam, & non noſtræ, ſed ſuæ ipſorum ſaluti reipſâ conſulunt; & quoniam frequenter neceſſitates noſtras alii non tam diligenter, quàm ipſi, intelligunt aut animadvertunt, ac proptereà non tam apta remedia proponunt: idcircò tutius eſt ab aliorum conſilio non pendere, ſed & proprium adjungi oportet, quo ſi concludatur, ea, quæ alii ſuggerunt,

nobis

nobis esse salutaria, ipsi innitendum est. *Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semet ipso*, Sirachid. C. 37. V. 8. Hoc est, omnis extollit & laudat consilium suum, sed sunt *consiliarii in semet ipsis*, id est, sibi consulentes, non ei, qui petit consilium. Quocircà *à consiliario serva animam tuam: priùs scito quæ sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit*, V. 9. Hoc est, Considerandum est, num qui consilium dat, aliquâ necessitate prematur, quâ non tam tuæ quàm suæ utilitati consulere cogatur: *& ipse animo suo cogitabit*, seu sibi ipsi consulet, seu cogitabit quomodò suis desideriis satisfaciat. Idcircò *Cor boni consilii statue tecum, non est enim tibi aliud pluris illo*, V. 17. *Est hypallage*, Cor boni consilii, (inquit *Cornelius à Lapide* in hunc locum) *id est, bonum consilium cordis tui assume, illique innitere. Hoc enim tibi fidelissimum est*: &, paucis interjectis: *Cor inprimis tibi ipsi fidelius dabit consilium, quàm quivis alius. Deindè cor consilium tuæ indoli & affectui (hunc enim nemo meliùs cognoscit & sentit, quàm cor tuum) maximè congruum dabit, vel minùs congruum attemperabit: Denique cor tuum pro te summè sollicitum, multa adinveniet sibi conve-*

convenientia, quæ alii nunquam invenerint. Verùm, quid hæc ad animi tranquillitatem? Permultùm. Cùm enim tranquillitas animi sit finis, ad quem præcipuè inter agendum respicere debemus; & cùm quæ ad ipsam vel conservandam vel labefactandam magis apta sunt & idonea, nemo seipso cognoscat meliùs, suum cujusque consilium, aliorum, qui vel non ita probè callent quibus rebus nostra tranquillitas aut promoveri aut periclitari solet, vel eas si calleant, aut non omninò, aut minùs curant, consilio præferendum est. *Sexaginta consiliarii si tibi fuerint, tamen consilium animæ tuæ non deseras,* inquit *Ben Syra : Fili, sine consilio nihil facias,* Sirachid. C. 32. V. 24. Sed, ἐν παντὶ ἔργῳ πίστευε τῇ ψυχῇ σου, καὶ γὰρ τοῦτό ἐστι τήρησις ἐντολῶν, C. 32. V. 23.

Aphorismus Decimus octavus.

Ab illorum consortio, qui nobis sunt superiores, cavendum.

SOcietas utilis est, naturalis, necessaria. *Societatis & communicationis* (inquit *Mercerus* in V. 9. C. 4. Eccles.) *& in studiorum ratione & negotiatione & in totâ vitâ, omni denique vitæ genere magna vis est & commoditas.* Est homo animal ad societatem natum, ζῶον πολιτικὸν, ut docet *Aristoteles. Melius est ergò duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuò: & si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Eccles. C. 4. V. 9, 10, 11, 12. Tritum est illud *Hebræorum* Proverbium: *aut societas, aut mors.* Delectus verò sociorum,(etsi cunctos amore prosequi debeamus) magnam curam & multam cautelam meretur & exposcit.

poſcit. Valdè noxia eſt cum improbis ſocietas [nam, *qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ : & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam*, Sirachid. C. 13. V. 1.] & cum inæqualibus admodùm periculoſa. Similitudo, amoris mater eſt & nutrix. *Omne animal diligit ſimile ſibi* ; quod idem *Sirachides* obſervavit, ubi ſuprà, V. 19. Et *Aquinas* demonſtravit, 1. 2. q. 27. Art. 3. *Ex hoc enim* (inquit) *quòd aliqui duo ſunt ſimiles, quaſi habentes unam formam, ſunt quodammodò unum in formâ illâ ; ſicut duo homines ſunt unum in ſpecie humanitatis, & duo albi in albedine, & ideò affectus unius tendit in alterum, ſicut unum ſibi, & vult ei bonum ſicut & ſibi.* Hinc,

Seni ſenilis lingua jucundiſſima eſt,
Puerόq; puer, & mulier apta fœminæ.
Ægrotus itidem ægroto, & in malis ſitus,
Exercito malis, placet atq; congruit.

Similitudo verò alia generalis eſt, qualis eſt omnium hominum, eò quòd conditi ſunt ad unam eandémque imaginem & ſimilitudinem Dei ; eáque ad generalem amorem omnium ſatis eſt : alia ſpecialis, quæ ad amorem,

morem, non laxum & diffusum, sed arctum & restrictum, qualis ad societatem contrahendam opus est, progignendum conducit. *Dixerunt sapientes nostri* (est adagium *Hebræorum*) *fœlicis memoriæ; omnis avis prope genus suum habitat, & omnis homo prope similem sibi. Omnis caro* (inquit *Sirachides* ubi suprà, V. 20.) *ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.* Ut autem parium societas firmissima est ac tutissima; ita imparium infirma plenáque periculo.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuet.——— Horat.

Etenim, superiores inferioribus societate conjuncti & cum illis collati, ut plurimùm superbiâ intumescunt; illos veluti mancipia ad ipsis serviendum nata, despiciunt ac contemnunt; ad injurias illis inferendas prompti sunt & parati; facile excandescunt, aut nullâ, vel levissimâ de causâ stomachantur & sæviunt; vindictæ sunt avidissimi; ut deniquè cum illis societas sarta tecta conservetur, inferiores ipsis operam & multam & assiduam navent necesse est, & sumptus majores,

jores, quàm quos inferiorum res familiaris ferre queat, expectantur & exiguntur. Quòd si vel illam ut sibi noxiam, detrectent inferiores, vel hos persolvere recusent, de societate actum est, & consortium in gravem commutatur inimicitiam, quâ illi, ut imbecilliores penitùs opprimuntur. *Sirachides*, C. 13. cum æqualibus conversandum esse monet, & opulentorum ac magnatum commercia vetat. *Pondus* (inquit) *super se tollit, qui honestiori* (id est, *ditiori*, ut explicat *Cornelius* à *Lapide*) *se communicat. Et ditiori te nè socius fueris.* Ad verbum verò Textus *Græci*: *Pondus super te nè tollas, & fortiori te, ac ditiori nè communica. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur. Dives injustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit. Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te. Si habes, convivet tecum, & evacuabit te, & ipse non dolebit super te. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, & ter: & in novissimo deridebit te: & posteà videns derelinquet te, & caput suum*

movebit ad te. Rursùs: *Quæ pars* [juxta Textum *Græcum, pax*) *diviti ad pauperem? Venatio leonis, Onager in eremo : sic & pascua divitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas : sic & execratio Divitis pauper.* Ante *Sirachidem*, apologo cacabi & ollæ concinnavit *Æsopus*. Fabula autem ita se habet : Ollæ duæ, quarum altera fuit ænea, altera fictilis, vi fluminis rapiebantur ; Fictili metuenti dixit ænea : *Nè metuas ; curabo enim ego nè tu allidaris aut collidaris ;* Cui Fictilis: *Sivè me tecum, sivè te mecum fluvius colliserit, utrumq; sine tuo, utrumq; cum meo fiet periculo : quare decretum mihi est à te disjungi.* Ollæ fictiles, sunt inferiores, æneæ, superiores; quarum illæ periclitantur consortio. Quod qui diffitetur, haud multùm in mundo versatus est, & mores hominum nondùm animadvertit. Familiaritatem ditiorum alii, potentiorum commercium alii, magnatum societatem alii sectentur, ambiant, depereant; tamen *procùl à Jove, procùl à fulmine*; pares amici, (quos, inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, refert *Martialis*) citra necessitatem adulatione fastum aliorum fovendi, citra metum indignationis temerariæ, vindictæ

&

& injuriarum, citra periculum opes exhauriendi, juvant & delectant. Δὶ ὁμοιότητος (inquit *Hierocles* in Aurea *Pythag.* Carmina) πάντα φιλεῖ πρὸς ἄλληλα συνίστασθαι. τῇ δ' ἀνομοιότητι καὶ τὰ ἐγγὺς ὄντα τοῖς τόποις χωρίζεται, id eſt : *Solent ſimilitudine cuncta inter ſe conjungi : diſſimilitudine autem, etiam quæ vicina ſunt loco moveri atq; ſeparari.* אל תתוידע לרשות h. e. *Nè familiaris ſis principatui*, *Pirke Avoth*, C. 1. Quid igitur? An omninò fugiemus à ſuperioribus? Nequaquàm. *Advocatus à potentiore diſcede :* (uti præcipit *Sirachides* ubi ſuprà) *Ex hoc enim magis te advocabit. Nè improbus* [h. e. *importunus*] *ſis, nè impingaris : Et nè longe ſis ab eo, nè eas in oblivionem. Nè retineas ex æquo loqui cum illo : nec credas multis verbis illius. Ex multâ enim loquelâ tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis. Immitis animus illius conſervabit verba tua : & non parcet de malitiâ & de vinculis. Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo : quoniam cum ſubverſione tuâ ambulas. Fuga extrema potentum* (inquit *Druſius* Proverb. Claſſ. 1. C. 4.) *dignitatis expers eſt. Alexander, de hâc re interrogatus, reſpondiſſe fertur, Ad potentes accedendum quemadmodùm ad ignem accedimus:*

hoc eſt, neq; nimiùm propè, nè comburamur: neq; nimiùm procùl, nè non caleſcamus.

Aphorismus Decimus nonus.

Ab inimico reconciliato cavendum.

A Quæ beneficia, marmori inſcribuntur injuriæ; amor citiùs, odium tardiùs langueſcit, & ſæpiùs occultatur quàm eradicatur. Quamvis itaquè omnes, etiam apertos inimicos amare, ipſiſque benefacere debeamus, ab ipſis tamen vel reconciliatis cavere prudentis eſt. Odium quippe amoris ſpecie velatum, ut fieri ſolet, plùs nobis obeſſe poteſt, quàm manifeſta inimicitia; eò quòd lædendi plures & majores nanciſcitur occaſiones & opportunitates. Fucatus amicus eſt πολεμίος ἀπόλεμος, & εὔνους σφακτής, *benevolus ſicarius*; illius δῶρα ſunt ἄδωρα.

Quicquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes.

Nulla peſtis efficacior, quàm familiaris inimicus,

micus, inquit *Damasus*, Regul. Canonic. 63. de quâ dicit: *Vera est, nec fallit. Nam non est deterior hostis, quàm familiaris inimicus: & nihil erit, neque est asperius, quàm simulatus amor, quia hostis incognitus, si est familiaris, non potest caveri: à manifesto hoste faciliùs cavetur. Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: & si humiliatus vadat curvus, adjice animum ad dextram tuam, nè fortè conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in novissimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris*, Sirachid. C. 12. V. 10, 11, 12. *Monet* (inquit *Cornelius à Lapide* in Versum 10.) *inimico, etiamsi reconciliatus videatur, & amicitiam simulet, non facilè esse credendum, nec fidendum; quia sicut æramentum, id est, vas ex ære factum (æramenta enim sunt opera ex ære facta, sicut ferramenta ex ferro) Græcè* χαλκὸς, *id est, æs vel vas æneum, licet politum sit & splendeat, facilè tamen rursùs æruginem, id est, virides sordes contrahit, si videlicet aliquo humore imbuatur: ita inimicus licèt videatur reconciliatus, & splendenti amicitiâ fulgidus, facilè tamen ad odia & nequitias suas redit: residet enim in animo ejus radix*

 malitiæ,

malitiæ, viror & virus malevolentiæ (quia manet altâ mente repoſtum maleficium, quod ſibi à te putat illatum) quæ naturaliter in maledicentiam & maleficentiam ſolitam datâ occaſione ſolet erumpere, & inſtar abſinthii progerminare. Hæc cautela & prudens fuci ſuſpicio, quia nec amorem nec beneficentiam vetat, haud obeſt inimico, tibi verò prodeſt; & neglectus hujus officii cladibus & damnis ſæpiùs multatur. *Abſalon*, à fictâ reconciliatione, Patri plurimam creavit moleſtiam, ipſúmque ferè & regno & vitâ penitùs orbavit. *Triphon* poſt amicitiam ſpecie redintegratam *Jonathan* interemit, 1. Maccab. C. 13. Reconciliationem aliquandò veram eſſe, & odium in amorem ſincerum nonnunquam commutari, haud negârim: contrarium tamen ſæpiùs evenit, quod ad perpetuam cautelam ſatis eſt.

Λόγον παρ' ἐχθροῦ μή ποθ' ἡγήσῃ φίλον.
Ἐχθρῶν ἀπιστῶν οὔποτ' ἂν πάθοις βλάβην.

Ab hoſte dicta nunquam amica duxeris:
Diffiſus hoſti, nil feres unquam mali.

Ita *Menander*. Amore ficto frequentius nihil; & dolo, aſtutiâ ac inſidiis, quàm vi apertâ

pertâ lædimur & ſæpiùs & graviùs. Quapropter *nunquam* (ut monet *Seneca*) *fidelem credes eum, quem ex inimico amicum habueris. Inimicum* (ut docet Idem) *quamvis humilem docti eſt metuere. Quandò ſubmiſerit vocem ſuam, nè credideris ei, quia ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius*, Prov. C. 26. V. 25.

Aphorismus Vigeſimus.

Inſaniâ alienâ fruendum.

Ωσπερ σκοπὸς πρὸς ἀποτυχεῖν οὐ τίθεται, οὕτως οὐδὲ κακοῦ φύσις ἐν κόσμῳ γίνεται, hoc eſt, *Quemadmodùm aberrandi cauſa meta non ponitur : ſic nec mali natura in mundo exiſtit. Epict.*Enc.C.34. Deus Optimus alios malos eſſe,niſi ut alii eſſent vel boni vel meliores,haudquaquàm permitteret. Ut autem Optimus aliorum malitiam permittit, ut alii vel boni vel meliores evaderent : ita Sapientiſſimus,ut alii aut ſapientes aut ſapientiores fierent, quorundam non impedit inſaniam. Alienâ verò malitiâ, cùm ejus intuitu boni ſumus, & inſaniâ, cùm eâ conſpectâ ſapimus, fruimur. Peccati tur-

pitudinem in aliis citiùs quàm in nobisſmet ipſis animadvertimus. Quorſùm? Ut in aliis peccati turpitudinem obſervando, in nobis peccatum locum non habeat, ſed proſcribatur, exulet. Videmus ebrium indecorè & more belluino ſeſe gerentem; ſobriè vivere diſcamus: alios in pericula & magna & multa, ſuâ temeritate prolapſos; ab eâ caveamus.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Optimus uſus alieni vitii, ſuum emendare; &, *fœliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit*, inquit *Plautus*. Erudiat nos aliena pravitas, & inſtruat veſania. Ex iſtis, peſſimis licèt magiſtris, bonum elicere & poſſumus & debemus. Quod ſi præſtemus, *omnia cooperantur in bonum*, Roman. 8. V. 28.

——— Fœlix quicunq; dolore
Alterius diſcit poſſe carere ſuo. Tibull.

Mali & ſtulti ſibi quidem ſunt prorſùs inutiles, aliis tamen proſunt. Quapropter non eſt quòd cauſemur providentiam tales permittentem. *Bellum eſt* (inquit *Cicero*) *ex*

aliorum

aliorum erratis ſuam vitam in melius inſti-tuere. Quod ſi negligamus, plurimas no-ſtram cùm bonitatem tum ſapientiam pro-movendi occaſiones amittimus, & in peri-cula multa quidem & magna, verùm haud neceſſaria, quæque faciliùs, prorſùs devitare, quàm citra periculum ſubire licet, temerè noſmet ipſos præcipitamus. Alienâ frui vel malitiâ vel inſaniâ, tutum eſt, utile, bellum, &, quod nemini meritò diſplicere queat, nobis parvo conſtat. Atque ita, *malis* ſumus *boni*, & *ſtultis ſapientes*.

Aphorismus Vigeſimus primus.

Multitudini cedendum.

MUltitudo robuſta eſt, ſed mente deſti-tuta, uti docet *Menander*:

Ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν.

Robuſta res eſt turba, mente ſed caret.

Judicio non movetur, ſed torrentis inſtar, rapitur impetu. *Non conſilium eſt in vulgo,*

non

non ratio, non discrimen, non diligentia, ut *Cicero* pro *Planc.* & experientia abundè testantur. Est insuper Multitudo instabilis ut aqua, &, veluti mare, procellis obnoxia est, & variis fluctibus agitatur.

———————πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.

Hanc belluam multorum capitum, nec ut ducem sequi, nec cum eâ certare debemus. Ei cedere, quàm pugnare tutius est. Si lucta sit, obruet nos potentia; si cedamus, ut omnia violenta, paulatim impetus consumitur & exolescit. Deniquè, magnis illius viribus conjungitur inconstantia; quamobrèm præstat mutationem præstolari, quam pollicetur instabilitas, quàm certamen inire, in quo vinci necesse est.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

Aphorismus Vigeſimus ſecundus.

Tempori ſerviendum.

TEmpora alia aliis conveniunt actionibus; non iiſdem dicantur omnia, ſed diverſa diverſis deſtinantur. ***Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo,*** [ſeu, ut rectè vertit *Mercerus*] ***Omni rei eſt tempus determinatum, & tempus eſt omni voluntati ſub cœlo, hoc eſt, cuilibet operi & inſtituto.***] ***Tempus naſcendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum eſt. Tempus &c.*** Eccleſiaſt. C. 3. V. 3. ad octavum uſquè. Tempora, ut herbæ, ſuas habent *ſignaturas*, quibus indicatur qualibus accommodata ſunt operibus. Legit illas ſapiens & intelligit, &, prout illæ ſuadent, nunc has, nunc illas deligit actiones, ſeu facit *opus diei in die ſuo*, [1. Eſdræ, C. 3. V. 4.] quod eſt *tempori ſervire*; éſtque jucundum, quia tempeſtivum, ut πᾶν ἄκαιρον λυπηρὸν καὶ ἀνιαρόν; ídque præcipit *Apoſtolus*, ad Roman. C. 12. V. 11. τῷ

καιρῷ

κυρίῳ δουλεύοντες, ut habetur in *Novo Testamento*, à *Roberto Stephano*, *Lutetiæ* edito, An. Dom. 1568. ex Bibliothecâ Regiâ. Beatus *Ambrosius* (inquit *Zegerus* in hunc locum) *hoc argumento adseverat, potiùs legendum*, Tempori servientes, *quòd omnia quæ hìc enumerat Apostolus, nihil aliud quàm Dei servitium sint.* Hanc *Lectionem* sequitur *Anglicana* Liturgia, & probat *Erasmus*. *Mihi* (inquit) *magis arridet* Tempori servientes. *Sed eâ sententiâ, quoniam Ethnici Philosophi nomine vulgò circumferebatur, & vafritiem quandam præcipere videbatur, offensus aliquis mutavit in* Domino servientes; *non satis animadvertens*, Domino servientes *cum toto sermonis hujus contextu non perindè congruere. Quanquam autem in vocibus Latinis* Tempori *&* Domino *nulla est affinitas, tamen in Græcis est nonnulla*, καιρῷ *&* κυρίῳ, *maximè cùm Scribæ solent in pingendo decurtare syllabas.* Dies adest, in quo te ad incontinentiam solicitat formosus aut formosa; hujus diei opus est ἐγκράτεια. Advenit dies honori tuo inimicus; ἀνδρεία munus est. Dies laboris instat; te monet καρτερία. Necessitatis dies est; sapientis esse & rerum Divinarum conscii, ipsi probè sese accommodare, cogita. Nullum

tempus

tempus munere ſuo deſtituitur, hora nulla ſuo vacat officio; quo ſi fungamur, ſcenæ ſervimus, utimur foro, στέργωμεν τοῖς παροῦσιν, (ut jubet *Iſocrates*) hilares ſumus & tranquilli: ſi negligamus verò, operam intempeſtivè collocamus, opportunitatibus abutimur, Deum ſimul & homines temerè cauſamur, & contra ſtimulum miſeri calcitramus. Cùm plantandi tempus eſt, non evellendum; cùm tacendi, loquendum non eſt. Opus in tempore non ſuo, eſt Μουσικὴ ἐν πένθει & ἄκαιρος διήγησις, Sirachid. C. 22. V. 6. Τὸ καλὸν οὐ καλόν, (inquit *Nazianzen.* contra *Eunomianos*) ὅταν μὴ καλῶς γίνεται. ὥσπερ ἄνθος ἐν χειμῶνι παντελῶς ἄωρον, καὶ γυναιξὶ κόσμος ἀνδρεῖος, ἢ γυναικεῖος ἀνδράσι, καὶ πένθει γεωμετρία, καὶ πότῳ δάκρυον: Ubi Geometriam pro Muſicâ, quæ omnes diſciplinas complectitur, *Nazianzenum* poſuiſſe affirmat *S. Maximus.* Sapiens eſt, *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Quid indè? *Folium ejus non defluet: & omnia quæcunque faciet proſperabuntur*, Pſal. 1. V. 3. Ab *Epicteto*, Enchir. C. 12. navigationi vita comparatur. Quemadmodùm itaquè nauta eundem ſemper curſum non tenet, ſed tempeſtati obſequendo ſubindè mutat: ita prudens,

prudens, vitam ſuam, veluti navigium, pro re natâ moderatur. Rectè præcipit *Phocylides:*

Καιρῷ λατρεύειν, μὴτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν,

Temporibus ſervire, nec Euro velle reſtare.

Aphorismus Vigeſimus tertius.

De Adverſitate, ut futurâ, ſæpiùs cogitandum.

SAlomoni *nihil ſub ſole novum*, Eccleſ. C. 1. V. 10. Sapientis eſt *lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere; tanquam quicquid poteſt facere, factura ſit*, ut loquitur *Seneca*. Nihil admiratur, ei nihil improviſum, omnia ſunt præcogitata.

——— non ulla laborum,
O Virgo, nova mî facies inopinâve ſurgit:
Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.

Dogma *Stoicorum* eſt, (*Stobæo* referente)

Μηδὲ παρὰ τὴν ὄρεξιν, μηδὲ παρὰ τὴν ὁρμὴν, μηδὲ παρὰ τὴν ἐπιβολὴν γίγνεσθαι τὶ περὶ τὸν σπουδαῖον. διὰ τὸ μεθ' ὑπεξαιρέσεως πάντα ποιεῖν τὰ τοιαῦτα, καὶ μηδὲν αὐτῷ τῶν ἐναντιουμένων ἀπρόληπτον προσπίπτειν, hoc est, *Nihil præter voluntatem, appetitum, consilium evenire sapienti. Quia cum exceptione omnia talia facit aut conatur, & nihil eorum quæ adversari possunt non est ei præmeditatum & præsumptum.* Fortuna semper levis est & inconstans, quod prudens sæpè cogitat, ac propterea illi non confidit, nec de illius fide quicquam sibi promittit. *Non mutat* (inquit *Seneca* de Benefic.) *sapiens consilium, omnibus his manentibus, quæ erant, cùm sumeret. Ideò nunquam illum pœnitentia subit: quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quàm quod factum est; nihil constitui, quàm quod constitutum est. Cæterùm ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit quod impediat. Ideò omnia illi succedere diximus & nihil contra opinionem accidere: quia præsumit animo, posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere.* Hæc de rebus adversis, ut aliquandò futuris frequens meditatio, vera est, facilis, tuta, utilis. *Vera*, quoniam omnes, utut viribus ac prudentiâ muniantur, adversæ fortunæ

tunæ ſunt obnoxii, & in eam quandoquè prolabuntur. *Facilis*, cogitatio quippè nec multam operam, nec ſtrenuum exigit conatum. *Tuta*, eò quòd calamitatem, quam fore putamus, nec accerſit nec accelerat. *Utilis* deniquè, ídque primùm, quia nobis haud infrequenter *media* ſuggerit, quibus ærumnas vel prorſùs amoliamur, vel differamus, vel temperemus. Καὶ ὥσπερ (inquit *Socrates* apud *Stobæum*, Serm. 3.) οἱ ἐν εὐδίᾳ πλέοντες, καὶ τὰ πρὸς τὸν χειμῶνα ἔχουσιν ἕτοιμα. οὕτως οἱ ἐν εὐτυχίᾳ φρονοῦντες, καὶ τὰ πρὸς τὴν ἀτυχίαν ἐπιμάχα βοηθήματα· id eſt, *Et ſicut ii qui ſecundante cœlo & vento navigant, etiam quæ contra tempeſtates uſui ſunt, parata habent: ſic qui in proſperâ fortunâ ſapiunt, etiam remedia adverſæ illius expediunt*. Secundò, ſi cautelâ noſtrâ & induſtriâ, fortunæ inconſtantiam eludamus, cogitationem de adverſitate ut futurâ falli, quàm dulce eſt? Quemadmodùm in malum, de quo nè cogitavimus quidèm, incidere, luctum improviſo malo peculiarem excitat: ita malum, quod effugere non ſperavimus, devitare, ſingulari nos afficit lætitiâ. Tertiò, in ἡμέραν ἐπαγωγῆς, [Sirach. C. 5.10.] ſeu in calamitatis adventum nos præparat, & ad eam æquanimiter ferendam reddit promptos,

aptos,

aptos, & idoneos. Etenim, ea, quibus aſſueſcimus, ſunt magis tolerabilia. Non res quidem, ſed nos mutat conſuetudo, quod perindè eſt, ac ſi res ipſæ mutarentur. Paries nunc albus, alteri jam nigro fieri poteſt ſimilis, ſive ille nigredinem, ſive hic albedinem acquirat: ad eundem modum, ſive objecta reipſâ alterentur, ſive ita mutemur ipſi, ut quod olim ingratum, evadat jam gratum, aut contrà, perindè eſt. Ita verò conſuetudine mutamur, ut jucunda ſint, quæ priùs injucunda, & juvent, quæ olim noxia fuerunt: &, de adverſis frequenter meditando, ipſa nobis fiunt perquàm familiaria, ſeu nos ipſis aſſueſcimus. Quocircà, ut egregiè monet *Seneca*, Epiſt. 76. *Aſſueſcamus futuris malis, & quæ alii diù patiendo levia faciunt, nos diù cogitando.* Iſtud, res eſt operoſa & haud expers periculi, hoc & nullo negotio & citra periculum præſtare licet. Πρὸς δὲ φυγὴν (inquit *Simplicius* in Epiƈt. Enchir. C. 28.) καὶ θάνατον, καὶ τὰ δεινότερα τῶν τοιούτων, ἄλλην προξενεῖ βοήθειαν, τὸ μὴ ἀπογινώσκειν τῶν τοιούτων, ἀλλὰ συνεχῶς ἐλπίζειν ὡς οἷόν τι ἐσόμενα. ἐὰν γὰρ ὁ μὲν λόγος ἀποδεικνύῃ, μήτε ἀγαθὰ μήτε κακὰ τὰ ἐκτὸς εἶναι, ὁ δὲ διὰ τῆς φαντασίας συνεθισμὸς ἐντιθῇ πως ἡμᾶς οὕτω πρὸς αὐτὰ ἔχειν ὡς πρὸς συνήθη, οὔτε ἀπὸ τῶν δεινῶν δοκούντων ταραττόμεθα, οὔτε τῶν ἡδέων δοκούντων λίαν ἐξεγειρόμεθα,

hoc est, *Adversus exilium autem & mortem, & id genus alia graviora, aliud remedium excogitavit,* [Epictetus] *nè illa putemus nunquam ad nos perventura : sed continenter expectemus. Nam si ratio demonstrârit, res externas neque bonas esse, neque malas, & consuetudo nobis eam quasi naturam attulerit, ut adversùs ea ut usitata & quotidiana affecti simus : nec iis quæ molesta habentur, deprimemur : nec suavium rerum imagine ultra modum alliciemur.* Quæ familiaria sunt æqui boníque consulere facile est ; & quid impedit, quò minùs ea, quæ vulgò terribilia putantur, frequenter meditando, familiaritate dignemur? De tristibus crebrò cogitandum, ut nobis tristia non sint ; ob oculos sæpè lugubria ponantur, ut ipsa hilares amplexemur ; cerebrum frequentent gravia, ut cordi sint levia. Quòd si nobile artificium, quo aciem mali, quantumvìs magni, obtundamus, & vim omnem fortunæ sævientis elidamus, præmeditationem scilicet socordes negligamus, nos mala, novitate armata imparatos stupore percellunt, & oscitantes opprimunt & pessundant.

E P I-

EPILOGUS.

Ὁ βουλόμενος (inquit *Simplicius*, Procem. in *Epict.* Enchirid.) ἀνδρείας ἐπιμελεῖσθαι, τῆς ψυχῆς ἐπιμελείσθω τῆς λογικῆς, καὶ περὶ τὰ οἰκεῖα αὐτῆς ἀγαθὰ διατριβέτω: Cætera tamen ſunt haudquaquàm negligenda. Animum quidem, ut peculium longè pretioſiſſimum, inprimis curare oportet; ſed, quò minùs ea, quæ ad corpus ſpectant & fortunam, prudenter adminiſtrentur, non vetat, quin potiùs ut ita tractentur, ut illius inſerviant fœlicitati, eam ſaltem non impediant aut remorentur, poſtulat hæc cura. Beatitate ſuâ potiatur animus, & eſto, ſi fieri poteſt, cùm fortunæ tum corporis ad illam tutandam & muniendam συνδρομή. In vitâ quippè, incuriâ noſtrâ ſæpiùs accidunt ἐπίπονα (ut loquitur *Hierocles* in Aur. Carm. *Pythag.*) καὶ τραχυτέραν ἡμῖν τὴν ὁδὸν τοῦ βίου παρασκευάζοντα, χαλεπὰ καὶ δυσδιάθετα κατὰ τὸν βίον, (qualia ſunt, ægritudo, egeſtas, infamia) quæ modicâ curâ devitari potuiſſent. Noſtra ἀτυχήματα maximâ ex parte ſunt αὐθαίρετα, & ἐπίσπαστα κακὰ, quæ diligentiâ prorſus effugere, quàm fœlicitatem dubio certamine pericli-

K 2 tari,

tari, satius est. Fœlicitati valetudinem prosperam, divitias moderatas & famam bonam adjungere, quàm, num fœlicitas, morbis, paupertate & ignomniâ nos occupantibus, sarta tecta conservabitur, experiri præstat. Mallem non omninò ægrotare, quàm convalescere; nullam adesse pugnandi necessitatem, quàm pugnando vincere, præsertim cùm admodùm incerta sit victoria. Nostram quidem beatitatem ab externis rebus pendere nolumus, quia ἡμέτερόν ἐστι κίνημα; verùm, ἠρεθισμένον ἔξωθεν ἐνίοτε, ut docet *Simplicius* in C. 1. Enchir. Epict. Res adversæ sunt hæc ad miserè vivendum ἐρεθίσματα; quæ paucis *Aphorismis*, non accersenda esse, sed abigenda, & quomodò, demonstravimus. Quòd si πτώματα, invitâ quasi nostrâ diligentiâ, ingruant, ut fit aliquandò, sunt tolerabilia tamen, nam πάσας τὰς μεταβολὰς (ut docet *Hierocles* in Aur. Carm. *Pythagor.*) τῆς θνητῆς φύσεως, καὶ τῆς ἑπομένης ταύτῃ τύχης, σωφρόνως καὶ ἀνεκπλήκτως ἡ φρόνησις ὑπομένειν δύναται, hoc est, *Potest prudentia mortalis vitæ hujus mutationes omnes, & fortunæ quæ ipsam sequitur, prudenter atque intrepidè sustinere:* Imò, ferenda sunt fortiter, quia devitari non possunt; [Prudentia, ut inquit suprà citatus *Hierocles*, πρὸς τὴν ἀνάγκην οὐκ ἀγριαίνεται]

in

in iis acquiescendum ex animo; non quia sunt infortunia, sed quia θεήλατοι συμφοραί; nobis ipsi placere debemus, eò quòd ad nos ista ipsi non attraximus; Deniquè, tempus instare cogitemus, in quo certandum est, & ostendendum quanta sit nostræ fœlicitatis præstantia, vis atque robur, & quàm vera sint, quæ docent *Ambrosius* & *Nemesius*; quorum ille 2. de Offic. C. 3. *Nihil bonum* (inquit) *Scriptura, nisi quod honestum, asserit: virtutémque in omni rerum statu beatam judicat: quæ neque augeatur corporis bonis, vel externis, neque minuatur adversis*; Hic, L. de naturâ hominis, C. 44. *Virtutes cùm solæ, tum cum aliis conjunctæ, hominem beatum reddunt. Cum aliis, in latitudine: per se, in circumscriptione. Nam eorum quæ sunt, partim circumscriptè intelliguntur, ut bicubitum: partim in latitudine, ut acervus. Nam de acervo duos modios si demas, quod relinquitur acervus est: item beatitudini in latitudine intellectæ, si detraxeris corporis & externa bona, solásque virtutes reliqueris, nihilominùs beatitudo manet:* Tempus, inquam, instare, & cum *Comico* agnoscendi, quòd

Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona
Quem penes est virtus:

Et cum *Lyrico*, generosè virtutem exerendi:


> *Laudo manentem*, [fortunam] *si celeres*
> *Pennas, resigno quæ dedit, & meâ (quatit*
> *Virtute me involvo, probámque*
> *Pauperiem sine dote quæro.*

Animus serenus, cum tempora sunt nubila, & pacatus ac compositus, cùm turbida, res est verè grandis, sublimis, gloriosa ; triumphus magnus, nobilis, splendidus ; dignum homine, Angelis, Deóq; spectaculum. τὰ μὲν ἀρκοῦντα αὐτοῖς, εὐσθενῶς διάκειται· τὰ δὲ ἄλλων χρῄζοντα, ἀσθενῆ καὶ ἐνδεῆ ἐστι, hoc est, *Ea quæ seipsis contenta sunt, robusta & firma sunt : quæ verò alienam opem desiderant, imbecilla & egena. Simpl.* in *Epict.* Enchir. C. 2. Sed ubinam virtutem collocabimus? Est fortis, inexpugnabilis, ἀνίκητος· Illam quidem præ se ferunt plurimi, & illius imaginem ostentant, ac umbrâ gloriantur, atque hi, quoniam verâ virtute destituti, alia tanquam ad fœlicitatem comparandam omninò necessaria, summo cum impetu sectantur, virtutem ad beatè vivendum haudquaquàm sufficere statuunt : Verùm, qui non solo nomine insigniti sunt, sed re ipsâ imbuti, virtutis vires beatrices, eásque

que fortunæ novercanti minimè obnoxias experiuntur. *Nescis insane* (inquit *Cicero*) *quantas vires habeat virtus, nomen tantùm virtutis usurpas, quid ipsa valeat ignoras.* Ut autem ignorare desinas, erit operæ pretium consulere *Isidorum Pelusiotam*, L. 1. Epist. 86. dicentem: *Virtus in prudentiâ, justitiâ, fortitudine, ac temperantiâ sita est. Quisquis igitur hæc complexus fuerit, & pulcherrimus, & conspicuus est,* καὶ οὐδὲν πρὸς εὐζωίαν λειπόμενος, *atque ejusmodi ut nihil ipsi desit, quod ad benè beatéque vivendum pertineat.*

SECT.

de
ut
pr
la
ve
de
O
al
Fa
qu
ne
un



Sect. III.

Præfatio.

EXterna, ſive bona ſive mala cenſeantur & nuncupentur, tanquàm elementa miſtione nondùm confuſa & alterata, ſigillatim conſideravimus, & quomodò ſingula ita tractentur & adminiſtrentur, ut, quoad fieri poteſt, fœlicitatem juvent & promoveant, miſeriæ verò aut omninò nullas, aut quàm minimas præbeant occaſiones vel irritamenta, enarravimus: Nunc eadem, ſed ut miſta & conflata intuebimur. Optimi parentes, Deus & Natura, ſingulis aliquot, nullis omnia ſua largiuntur dona. Favoris & beneficentiæ tantorum parentum quiſque particeps eſt; totus autem favor nemini conceditur, & ad nullum extenditur univerſa beneficentia. Sua cuique dos eſt,

nè

nè quis parentes ſuos ipſum negligere conqueratur; omnia verò beneficia, quæ immenſa Dei φιλανθρωπία & vaſtiſſima naturæ pietas diffundunt in mortales, quæque ſunt ampliſſima & penè innumerabilia, ad unum aliquem derivari, vetat auguſta naturæ cujuſque capacitas. Alii divitiis affluunt & honoribus, ſed valetudine proſperâ deſtituuntur; aliis ſalus eſt integra, ipſis verò opes haud ſuppetunt, & deſunt honores. Interdùm gloria premitur egeſtate; interdùm abundantia vel ignominiâ vel iniquâ valetudine caſtigatur. Nihil eſt undiquaque abſolutum, ſeu, quod eodèm recidit,

——*Nihil eſt ab omni parte beatum.*

Dividuntur dona, diſtribuuntur beneficia. Bona verò, mala, & mala, bona ita temperant & moderantur, ut ſingulorum vires prorſùs aliæ videantur, quàm cùm ſeorſim exiſtunt & ſpectantur. Quæ ſolitaria, tolerabilia, aliis conjuncta, ſæpè videntur intolerabilia; & frequenter,

——*quæ non proſunt ſingula, juncta juvant.*

Eorum,

Eorum, ex quibus miſta conſtant, virtutem compeſcit miſtio, frangit & immutat. Ut igitur externa, etiam coëuntia quomodocunque, beatitudini inſerviant, ediſſerere, eſt unicum hujus Sectionis inſtitutum. Quod ut breviter abſolvamus, externorum, ſive bona ſint, ſive mala, ſive plura, ſive pauciora, & qualiſcunque ſit alterutrorum portio, conjunctionem ſeu complicationem, hominis *ſtatum* appellare libuit.

Aphorismus Primus.

Ad acquieſcendum in ſtatu ſuo, vel ad eum ægrè ferendum, ſuâ ipſius opinione movetur homo.

STatum, in quo alii placidè acquieſcunt, alii deteſtantur. Quid ità? Objectum eſt idem, eadem & voluntatis natura. Undè igitur tanta affectuum varietas? Undè tanta contrarietas? Naturam voluntatis fruſtrà incuſamus, & res, circa quas verſatur, temerè cauſamur. Opiniones ſunt diverſæ, ad-

adversæ; hinc quæ alii depereunt, abominantur alii; iisdémque quæ olim admodùm jucunda fuerunt, nunc molesta sunt & ingrata, quia non est idem de iisdem judicium, sed mutatur. ταράσσει τοὺς ἀνθρώπους, οὐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα, hoc est, *Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus.* Ita docet *Epictetus* Enchir. C. 10. eique ratio apertè suffragatur. Nam, quod naturâ suâ voluntatem, id omnem perturbat voluntatem, ut quod corpus naturâ suâ, id corpus omne calefacit: Verùm, res omnem voluntatem perturbare, liquidò falsum est, quoniam quæ displicent aliis, aliis placent. Undè eas naturâ suâ illos non perturbare manifestum est. Dein, quamvis objectum sit malum, si tamen ut malum non apprehendatur, voluntas omni perturbatione vacat; quod vim perturbatricem non objecto, sed opinioni inhærere testatur. Et, si objectum re verâ bonum, ut malum apprehendatur, (ut sæpè fit) non minor est voluntatis perturbatio, quàm si objectum foret re ipsâ malum. Quod, ipsum objectum voluntatem non perturbare luculenter demonstrat, nisi quod re ipsâ bonum est, voluntatem naturaliter perturbare statua-

ſtatuamus. Ut autem non res, ſed opiniones de ipſis homines perturbant : ita non res, ſed de iis opiniones oblectant. Etenim, ſi vis oblectandi ſit rebus ipſis naturaliter inſita, cur non eædem omnes oblectant, & undè eſt quòd haud minùs oblectatur voluntas, cùm objectum re ipſâ malum, ut bonum apprehenditur, quàm ſi foret re ipſâ bonum? Cùm lætamur, objectis gratiæ non ſunt agendæ, & cùm mœremus, rebus ægritudines non ſunt imputandæ. Objecta ſunt veluti *materia*, cujus eſt, non agere, ſed pati; opiniones verò tanquam *forma*, cui actio adſcribenda eſt, motus & efficacia. *Omnia ex opinione ſuſpenſa ſunt*, inquit *Seneca*, Ep. 78. Τὴν ὑποληπτικὴν δύναμιν σέβε, (inquit *Marcus Antoninus*, L. 2.) ἐν ταύτῃ τὸ πᾶν, hoc eſt, ut vertit *Gatakerus*, *Facultatem opinatricem venerare, in hâc enim ſita ſunt omnia.* Qui, ſive verè ſive falſò, ſtatum ſuum bonum putat, eo facilè contentus eſt; qui malum, ut ægrè ferat eum, neceſſe eſt. Ἀνάγκη πάνθ' ὅπως οὖν ἑκάστῳ χρῆσθαι, ὡς ἂν περὶ αὐτοῦ ὑπολάβῃ, id eſt, *Neceſſe eſt quemlibet ita ſingulis rebus uti, ut de iis exiſtimârit*, ut obſervavit *Epict.* apud *Arrian.* L. 1. C. 3. Longè latèq; dominatur opinio; illius imperium ampliſſimum eſt; cunctos regit & moderatur.

APHO-

Aphorismus Secundus.

Hominem opinari ſtatum ſuum bonum eſſe, vel malum, liberum eſt.

INter ea, quæ poteſtati alienæ obnoxia non ſunt, locum habet ſua cujuſque de ſtatu ſuo opinio. Proſperâ valetudine, divitiis, honore, reliquíſque bonis externis orbari poſſumus inviti; ſed illis orbatum, ad ſtatum malum ſe redactum eſſe, non eſt quod cogat opinari, nec eſt quod vetat quò minùs ſtatum ſuum bonum eſſe judicet. Ex adverſo, affluentem bonis cùm fortunæ tum corporis, ſtatum ſuum bonum eſſe arbitrari facile eſt; & de eo conqueri quid magis uſitatum? Eundem ſtatum alii bonum putant, alii malum; quod omnem hominem, quemvis ſtatum vel bonum eſſe, vel malum, opinari poſſe demonſtrat. Quod enim de quovis ſtatu ſentiunt aliqui, id ipſum de eo ſentire poſſunt & omnes alii. Nam, illi aliqui rectè opinantur, vel ſecùs; ſi rectè, reliqui veritatis haud minùs ſunt capaces: ſin falſò,

falſò, & alii omnes errare poſſunt. A ſtatu noſtro, opiniones de ipſo haudquaquàm mutuamur, aliàs de eodem haud diverſæ forent & adverſæ; ſed illas pro noſtro ipſorum arbitrio formamus & effingimus; undè varietas profluit opinionum, & contrarietas. Non rebus, ſed nobis opinionem debemus τὸ δόγμα ἡμέτερόν ἐστιν, *Opinio noſtra eſt*, ut loquitur *Simplicius* in *Epict.* Enchir. C. 22. Cùm quidem objecta ſunt *per ſe nota*, (ut loquuntur) qualia ſunt: Duo & tria ſunt quinque, Totum eſt ſuâ parte majus; ipſa objectorum evidentia intellectum efficaciter determinat, & quia evidentia una eſt & eadem, ſumma eſt judiciorum concordia: verùm cùm non ſunt *per ſe nota*, determinatrix evidentia non adeſt, & illius locum ſupplet voluntas; quæ quia varia eſt & inconſtans, opiniones de iſtis objectis illius juſſu & imperio efformatæ, diverſæ ſunt, & non raro contrariæ. In claſſe verò objectorum, quæ non ſunt *per ſe nota*, collocanda ſunt hæc: *Status meus eſt bonus*; *ſtatus meus eſt malus*. Nam ſi eſſent objecta *per ſe nota*, me & quemvis alium ad idem ſemper de ſtatu meo ſentiendum determinaret evidentia; quod non fieri tam notum eſt, quàm quod notiſſimum.

mum. Intellectus igitur hominis de istis pro voluntatis arbitrio judicat. Judiciorum inconstantia & pugna, voluntatis imperium testantur, & intellectum nec à naturâ suâ, nec ab objecti evidentiâ, ad ipsa determinari demonstrant. Quamobrèm, rectissimè inter ea, quæ sunt in nostrâ potestate, opinionem recenset *Epictetus*, Enchir. C. 1. eíque *Simplicius* adstipulatur: τὰ αὐτοκίνητα (inquit) τῆς ἑαυτῶν κινήσεως καὶ ἐνεργείας αἴτια ὄντα, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἑαυτῶν, καὶ τὸ κακὸν ἐν ταύταις ἔχουσιν. ἐνέργειαι δὲ αὐτῶν κυρίως, κατὰ μὲν τὸ γνωστικὸν αἱ τῶν ὄντων ὑπολήψεις, hoc est, *Quæ intrinsecùs moventur, cùm sui motus & actionis sint causæ: bonum quoque suum & malum in iis habent, eorúmque propriæ actiones sunt, in cognitione opiniones de rebus, &c.* Et, paucis interpositis: ὑπολαμβάνειν καὶ ὀρέγεσθαι, ἡμῶν αὐτῶν ἐστιν ἴδια ἔργα, ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ κείμενα, id est, *Opinari & persequi, nostra propria sunt opera, & in potestate nostrâ sita.*

Aphorismus Tertius.

Hominis opinio de ſtatu ſuo, ut bono, vera eſt.

MAxima pars mortalium pravâ, de ſorte ſuâ, opinione laborat & torquetur. Suſpiriis & gemitibus nihil frequentius, & aures noſtras penè ſemper & ubiquè feriunt querelæ; ídque quoniam ſors ſua cuique mala videtur: nihilominùs, ſi providentiam Divinam cuncta moderari ſtatuamus, (ut par eſt) ſtatum cujuſque hominis re ipſâ bonum eſſe, nullo negotio demonſtrabimus. Nam primùm, cùm ſtatus, in quo ſumus, ſit à Deo nobis deſignatus, in eóque, ab ipſo collocemur; cúmque Deus ſit optimus, & ab optimo non niſi quod bonum eſt proficiſci queat, quis niſi malus ſtatum ſuum malum, aut non-bonum, eſſe cogitabit? A malo malum profluere ſatis probabile eſt; à non-bono non-bonum promanare eſt plùs quàm veriſimile; ſed ab optimo vel malum vel non-bonum oriri poſſe, fidem omnem ſuperat. Secundò,

Deus est scientissimus, potentissimus, & hominis amantissimus; ac proindè status cujusque bonus est. Sequela probatur, quia Deus quâ re indigemus, & quid nobis bonum sit, quàm nosmet ipsi meliùs cognoscit; ejus scientia est infinita, cuncta oculis illius distinctissimè nuda sunt & patentia. Sed quid juvat hæc omniscientia, quâ quid cuique bonum est, ipsi innotescit, si voluntas aut vires desint, quibus conferatur? Verùm, immensa Dei scientia armatur omnipotentiâ, & omnipotentia amore generis humani longe maximo in actum deducitur. Cognoscit quid nobis bonum est, illúdque producere potis est, quia est omnipotens, & vult, eò quòd amore planè ineffabili homines prosequitur. *Quædam sunt* (inquit *Seneca* de Irâ, 2. C. 27.) *quæ nocere non possunt, nullámque vim nisi beneficam & salutarem habent: ut Dii immortales, qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis & placida est, tam longè remota ab alienâ injuriâ, quàm à suâ.* Et Epist. 95. *Quæ causa est Diis benefaciendi? Natura. Errat, si quis illos putat nocere velle: non possunt. Nec injuriam accipere queunt, nec facere.* Deus bonos amat, quia ipsi sunt similes; & malos, (licèt

(licèt non quatenùs tales) quoniam bonus est, illiúsque bonitas, horum pravitate vel maximâ longè major est. *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, Matth. C. 5. V. 45. *Ecce sceleratis sol oritur, & piratis patent maria*, *Seneca*, 4. de Benefic. C. 26. Quocircà, non est quòd de bonitate status nostri dubitemus, nisi judicium de ipso juxta ingeniolum nostrum, quod in plurimis cæcutit, & erroribus obnoxium est, potiùs quàm secundùm immensam Dei φιλανθρωπίαν omniscientiâ instructam & omnipotentiæ conjunctam, instituere velimus. Tertiò, statum tuum bonum esse judicat Deus, aliàs illius Author non foret; quamobrèm aut erras tu judicando statum tuum malum esse, aut Deus in errore versatur, quod vel cogitare absurdum est & planè impium. Ut nostra voluntas Divinæ conformis, bona est, quia Divina est optima: ita judicium nostrum Divino conforme, verum est, quia Divinum verissimum est. De statu, bonus sit, nécne, dubitatur: an hominem potiùs, qui *ignorat quid conducat sibi in vitâ suâ*, [Eccles. C. 7. V. 1.] quàm Deum, qui *judicat omnem terram*, Gen. C. 28. & quem nihil omninò latere potest, arbitrum constituemus

 tuemus

tuemus? Et quidem, si indoles cujusque hominis, educatio, locus, tempus, necessarii, & reliqua omnia ad ipsum quoquo modo spectantia, & ad statum ipsius efformandum concurrentia, considerentur, non sigillatim & seorsim, sed cum mutuo omnium respectu, status ille, in quo collocatur quispiam, ipsi maximè congruus est & consentaneus. Verùm, homines ad pauca aliquot oculos convertunt, & de toto statu pro illorum paucorum ratione ferunt sententiam. Atque ita, malè audit status, malè audit Providentia; de quibus aliàs honorificè sentirent mortales, si cuncta sedulò perpenderent & inter se conferrent. Suam cuique sortem aptat Deus & accommodat, ut Medicus prudens ac peritus diætam præscribit & medicamenta: quo sensu verè dixit *Hieronymus Cardanus* de Præpar. L. 1. *Deus conditionem non solùm mortalium, sed etiam cunctarum rerum, quæ sub cœlo sunt, æquavit.* Alia aliis conveniunt diæta & pharmaca, sed quæ cuique conveniunt, est penes Medicum judicare: ita status alii aliis expediunt, sed quis cuique expedit, novit ille, qui cuncta regit & moderatur, & prout expedire judicat, suum cuique distribuit.

APHO-

Aphorismus Quartus.

Hominis opinio de statu suo, ut bono, utilis est ad fœlicitatem adipiscendam.

IMpetu naturæ cuncta animalia quod ipsis bonum videtur, appetunt, quod malum, aversantur; & in illo acquisito, & hujus devitatione acquiescunt. Quocircà, si statum hominis sibi placere, jucundum esse & gratum, sit fœlicitas,(ut re verâ est) cùm opinio de ipso, ut bono, eò conducat, ad fœlicitatem comparandam utilis, jure meritóque censeri debet. Imò, quamvis esset falsa, nihilominùs egregiâ utilitate haud destitueretur, quia ad tranquillè vivendum maximoperè conferret, adeò ut, etiamsi statum suum bonum esse putare, foret error, foret tamen error amabilis, jucundus, optabilis. Undè *Epictetus* apud *Arrianum*, L. 1. C. 4. ἐγὼ μὲν ἤθελον (inquit) τὴν ἀπάτην ταύτην, ἐξ ἧς ἤμελλον εὐρόως καὶ ἀταράχως βιώσεσθαι, hoc est, *Equidem talem deceptionem optârim, quâ fieret ut fœliciter*

& animo tranquillo viverem. Hanc opinionem, quâ ſcilicet ſtatum noſtrum bonum eſſe judicamus, eò quòd in ipſo collocamur à Deo, qui eſt optimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus, & noſtri amantiſſimus, quique ipſum bonum eſſe judicat, etiamſi falſitate laboraret, nec Deum ad iraſcendum provocare, nec odium, aut pœnam vel minimam mereri probabile eſt, quoniam ita arbitrando, licèt falſò, noſtram cum Deo concordiam teſtari, ipſique obſequium præſtare videmur. *Ipſis beatis,* (inquit *Hieronymus Cardanus* de fine bonorum) *ſi placet inſanire, & quod alienum eſt ſuum exiſtimare, quod brevi caſurum perpetuum, non iraſcor. Tibi, quicunque es qui te fœlicem exiſtimas, non aliud eveniet quàm Mycillo illi, qui gallo ſuo iraſcebatur, quòd eum ſomniantem Midæ theſauros, & Gygis fœlicitatem è ſomno exturbâſſet, mallebátque grandem illam beatitatis imaginem, quàm lucellum quod ex ſuturâ veteris calcei facturus erat. Itaque multi ſunt qui malunt errore eſſe beati, quàm res ſuas, ſuámque conditionem verè agnoſcere.* Et paulò pòſt : *Somnia quis dubitat falſa eſſe, nec eas imagines quicquam eſſe? Quis tamen nolit magis ſomnia jucunda, quàm triſtia videre?* Verùm, Deum, qui eſt prima

ma veritas, ſequendo, non eſt quòd errorem metuamus. Dux ille magnus novit veritate nos ad fœlicitatem perducere : Veritate, (inquam) quam in noſtro poſuit arbitrio, quia ſtatum ſuum bonum eſſe arbitrandi, quod verum eſſe paulò anteà demonſtravimus, poteſtatem nemini negavit.

Aphorismus Quintus.

Cùm homo de ſtatu ſuo cogitat, illius opinio de eo, ut bono, eſt ad fœlicitatem adipiſcendam neceſſaria.

QUamvis ad eſſentiam beatitudinis pertineat nec ſtatus, nec de ſtatu cogitatio ; cùm de ipſo tamen cogitamus, niſi hâc de re benè ſentiamus, de fœlicitate planè deſperandum eſt. Etenim, ut illo ſtatu contentus ſit homo, ſeu ut in illo acquieſcat, quem non-bonum eſſe putat, prorſus impoſſibile eſt. Quod tantùm non-malum videtur, fortè non diſplicet ; ſed præter id, quod videtur bonum, nihil eſt quod placet, nihil quod ſatiat, nihil quod replet. Fœlicitas

 gaudium

gaudium est, (ut nos alibi demonstravimus) saltem citra gaudium nunquam subsistit, ut nullus non arbitratur: Ut verò statu suo gaudeat quispiam, quem bonum esse haud existimat, fieri non potest. Opinionem de bono tam exigit lætitia seu gaudium, quàm opinionem de malo postulat tristitia. Ἐγὼ ἔμαθον (inquit *Apostolus Paulus*, ad Philip. C. 4. V. 11.) ἐν οἷς εἰμι, αὐτάρκης εἶναι, hoc est, *Ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.* Exemplar tantum haud fas est imitari, nisi status noster nobis bonus videatur. Præcipit idem *Apostolus*, ad Hebr. C. 13. V. 5. ἀρκεῖσθαι τοῖς παροῦσιν. Quod mandatum si non observetur, de fœlicitate actum est; & observari non potest, nisi sortem nostram bonam esse judicemus.

APHORIS.

Aphorismus Sextus.

Hominis opinio de ſtatu ſuo, ut bono, quantum ex parte intellectus requiritur, cùm de ipſo cogitat, ad fœlicitatem adipiſcendam ſatis eſt.

FOelix eſt quicunque certò & habet quæ vult, & devitat quæ devitare ſtudet, (uti in Primâ *Sectione* demonſtratum eſt) ſeu cujus voluntati ſatisfit; quod ut fiat, ut intellectus hominis ſtatum ſuum, cùm de ipſo cogitat, tanquam bonum probet, neceſſe eſt; ídque ſi præſtet, ſuo munere defungitur, & nihil reliquum eſt, quàm ut in eo, quod intellectus, ut bonum probat, acquieſcat voluntas.

Aphorismus Septimus.

Hominis opinio de ſtatu ſuo, ut malo, falſa eſt.

CUm enim opinio de ſtatu, ut bono, ſit vera; opinio de eo, ut malo, falſa eſt. Et quidem de ſtatu malè ſentiendo, malum Deo Optimo, tanquam Authori, imputamus, ejus potentiam, ſcientiam vel amorem in dubium vocamus, & Divinum de ſtatu judicium, erroris inſimulamus; niſi Deum, ejúſve providentiam prorſùs inficiemur; quod impium eſt.

Aphorismus Octavus.

Hominis opinio de ſtatu ſuo, ut malo, perniciosa eſt.

QUod hominem reddit miſerum & ærumnoſum, id procul omni dubio planè

nè perniciosum est: Atquì hominis opinio de statu suo, ut malo, ipsi miseriam creat quàm certissimè. Ut enim homo statu, quem malum putat, contentus sit, impossibile; ut ipsum ægrè ferat, necesse est. Ab hâc pravâ de statu opinione, miseria suam trahit originem. Quia nimirùm sortem suam malam esse credunt mortales, eam detestantur; ac propterea torquentur & cruciantur. De conditione suâ verò nemo male sentiat; subitò exiccantur lachrymæ, facilè mœror in lætitiam commutatur, & omnes exulant querelæ.

Aphorismus Nonus.

Homo statum suum bonum esse, non malum, opinari debet.

CUm enim in potestate nostrâ sita sit opinio, & quæ est de statu nostro, ut bono, sit vera, ad fœlicitatem acquirendam utilis ac necessaria, quandocunque de ipso cogitat homo, & ad ipsam obtinendam, quantum ex parte intellectus requiritur, satis;

ſatis; quæ verò de ſtatu, ut malo, falſa ac pernicioſa, illam amplexari oportet, hanc prorſùs eliminare debemus. Aſt (inquies) fieri non poteſt, ut egeſtate preſſus, ignominiâ onuſtus, aut morbis gravatus, de ſtatu ſuo bene ſentiat. העשק יהולל חכם ויאבד את־לב מתנה Eccleſ. C. 7. V. 8. *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*, Vulg. *Oppreſſio inſanire faciet ſapientem: & perdet cor donum*, Pagnin. *Violentia decipiet ſapientem quò non ambulet in viâ ſuâ, & perdet per eloquia mala ſapientiam cordis ſapientis, quæ data fuerit ei dono cœlitùs*, Targum. Res igitur adverſæ hominem de ſtatu ſuo rectè judicare non permittunt. Verùm, de ſtatu ſuo hominem rectè vel ſecùs judicare, liberum eſſe, ſuprà demonſtravimus, & nec proſperæ fortunæ ſapientiam, nec adverſæ debemus inſaniam: illam ſtudio comparamus, in hanc nonnunquam ſponte prolabimur. Adverſitas ſapientiam, & *ſtultitiam patiuntur opes*. Nonnulli quidem, obortâ calamitate, inſaniunt, ſed non viribus & efficaciâ calamitatis, quaſi ipſos illa ad inſaniam adigeret, quoniam calamitates nos potiùs erudire & inſtruere, quàm ad inſaniam impellere, *Sacræ Literæ* paſſim teſtantur

[*Tan-*

[*Tantummodò sola vexatio dabit intellectum auditui*, Isa. C. 28. V. 19. *Virga autem & correctio tribuit sapientiam*, Proverb. C. 3. V. 15.] & quomodò, nos pleniùs demonstravimus, *Anim. Medel.* L. 3. C. 4. Sed, quemadmodùm pueri, cùm ab ipsis quidpiam eripitur, quod reliquum est abjiciunt indignabundi: ita & homines rerum mundanarum amore capti, illis ablatis, stomachantur, & haud raro intellectum suum temerè prodigunt & abdicant sapientiam, ac si in rebus secundis tantùm, illis foret opus. Quod autem ad modò citata *Salomonis* verba attinet: עשק tam res oppressione vel fraude acquisitas, quàm ipsam oppressionem vel fraudem significat, & res fraude partas vel oppressione, hìc intelligi, & sensus ac connexio cum versibus præcedentibus postulant, & docet *Mercerus* in hunc locum: *Oppressionis* (inquit) *seu calumniæ nomine intellige opes vi, calumniâ, oppressione & circumventione partas, quæstum deniquè qui fit per fas & nefas. Quia ergò de stultis dixerat, vitandas eorum blanditias, & quantumvis amœnum ac suave vivendi genus, quod sæpè cum aliorum oppressione conjunctum est: propterea subdit, Idcircò te à toto vitæ genere stultorum revocatum velim,*

velim, nè ullo modò illis consentias, aut eorum vitæ institutum ullâ in re probes: quia si illos secteris, iniquus quæstus quem illi consectantur, ut placidiùs & suaviùs vivant, etiam sapientem non stultum tantùm, sed ex stulto insanum efficit. & corruptela, id est, donum, *ut dicit,* cor, *id est, intellectum & mentem vel sapientissimi* perdit, *atque à recto avertit:* Quamobrèm, non quòd adversitas hominem suo privat intellectu, orbátve sapientiâ; quin potiùs, quod contrarium est, divitias nempè injustè comparatas mentem occæcare, *Salomonem* hìc loci statuere constat. Deus statum subindè mutat, non de bono in malum, sed de bono in bonum, quia non nisi quod bonum est, ipsi placere potest: Ac proindè, nec, ut mundi reculis quibusdam mutatione proscriptis, bona de statu opinio ostracismum patiatur, nec, quamvis status sint oppositi, ut de altero benè, de altero malè, necesse est; sed ut de utroque benè sentiamus, æquissimum est. Audiamus *Epictetum* docentem quid fieri debeat, & quomodò: Μὴ γίνε δυσάρεστος, μηδὲ κακοστόμαχος πρὸς τὰ γινόμενα. (inquit ille apud *Arrian.* L. 4. C. 4.) hoc est *Neque sis morosus, neque fastidiosus erga ea quæ fiunt.* Et paucis interjectis: χαῖρε τοῖς

πα. ὅπ.

παρῇ, καὶ ἀγάπα ταῦτα, ὧν καιρός ἐστιν, id eſt, *Delectare iis quæ adſunt, & in iis acquieſce, quæ tempus fert.* Sed, hæc quomodò præſtare queam? Ἀεὶ μᾶλλον (inquit idem, Cap. 7.) ἐκεῖνο θέλω, τὸ γινόμενον. κρεῖττον γὰρ ἡγοῦμαι ὃ ὁ θεὸς θέλει, ἢ ἐγώ, &c. *Semper illud potiùs volo quod fit. Melius enim id judico quod Deus vult, quàm quod ego.* O piam, generoſam, & verè beatricem hanc noſtri judicii de ſtatu nobis à Deo deſignato, & noſtræ voluntatis illud ſequentis & imitantis, cum judicio Divino & voluntate conformitatem! Sed, illas opiniones, quibus fœlices evadamus, miſeri repudiamus; quibus verò miſeri, amplexamur ærumnoſi, & veluti faſcinati, quod nobis eſt lethale, eligimus. Δόγματα οἱ ὄφεις, *opiniones ſunt ſerpentes,* modò Seni venerando apud *Arrian.* L. 2. C. 22. fidem adhibere non vereamur. Beatitudinem vultis mortales? Eccè, in poteſtate veſtrâ ſitum eſt de ſtatu veſtro benè rectéq; ſentire; quod ſi præſtetis, ut veſtrâ plurimùm intereſt, ἀναμφισβήτως eritis fœlices. An miſeriam effugere ſtudetis? Malam omnem de ſorte veſtrâ opinionem, ut æquum eſt, proſcribite, hanc κακοδοξίαν exuite; Statum veſtrum cauſari deſinite: malus non eſt, niſi malè judicando, cum vobis malum faciatis;

ſed, bonus eſt, quia Deus illius Author eſt, & vobis bonus, ſi de illo rectè arbitrari velitis. Cur Divinam providentiam incuſatis? *Attingit* illa *à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*, Sapient. C. 8. 1. Illius quidem opera nativâ quâdam dulcedine imbuta ſunt, eámque rectum judicium retegit & oſtendit: verùm, ſi nobis amara ſint, adſcititia eſt amaritudo, eámque tantùm judicio malè ſano debemus. Aquæ *in dulcedinem verſæ ſunt*, ligno ipſis à *Moſe* injecto, Exod. C. 15. ita probâ opinione de ſtatu noſtro, veluti ligno *Moſis*, nobis ſtatus dulceſcit. Quòd ſi pravis opinionibus valedicere recuſemus, & in arbitrando ſortem noſtram malam eſſe ſimus obſtinati, contra ſtimulos calcitramus, Deum impiè, fortunam ſtultè incuſamus, & turbati more febricantium huc illuc miſerè agitamur. De ſtatu noſtro rectè ſentiendo, id eſt, arbitrando, ut æquum eſt, non temerè nos in eum prolapſos eſſe, ſed juſſu Patris optimi, Regis potentiſſimi, & omnium rerum Moderatoris prudentiſſimi & juſtiſſimi, in eo nos collocari, cum *Epicteto* apud *Arrianum*, L. 4. C. 10. verè & ex animo dicere poſſumus: *Quas facultates à Te* [Deo ſcilicet] *accepi ad intelligendum gubernationem*

nem tuam, eique obtemperandum, eas non neglexi: non dedecori tibi fui, quantum in me fuit. Ecce quomodò usus sum sensibus? quomodò anticipationibus? Num te unquam incusavi? Num quid eorum quæ evenerunt ægrè tuli, aut aliter fieri volui? Num affectiones violavi? Quia me genuisti, gratiam tibi habeo: iis rebus quas dedisti mihi, usus sum quoad voluisti. Hoc mihi satis est: recipe eas, & ubicunque volueris collocato. Tua enim fuerunt omnia, Tu mihi ea dedisti. Ita affecto quis generosior, prudentior, honestior, fœlicior? πᾶν ὃ ἐὰν ἐπαχθῇ σοι, δέξαι, hoc est, ut vertit *Drusius, quicquid tibi illatum fuerit, acceptum habe*, [Sirach. C. 2. V. 2.] πολλοὺς γὰρ ἐπλάνησεν ἡ ὑπόληψις αὐτῶν ματαία, *Multos enim seduxit opinio ipsorum vana*, Ibidem, C. 3. V. 23. Et, *Sorte suâ contentus abi.*

Ad opinandum verò sortem bonam esse, haud parùm conducit, ad illos, quorum status nostro vilior est, respicere, ab iis verò quorum sors nostrâ præstantior habetur, oculos avertere. Cùm enim ob oculos versatur status nostro sublimior, comparatione vilescit nostra conditio, & ad ipsam ægrè ferendam sumus admodùm proclives.

Est nemo miser nisi comparatus:

 Cum

Cum iis ſcilicet, quorum ſors noſtrâ potior eſt. Noſtræ tranquillitatis igitur plurimùm intereſt ab eâ comparatione prorſùs abſtinere. Si verò nos ipſos cum aliis, quorum conditio noſtrâ deterior eſt, conferamus, & conſtanter de hâc comparativâ excellentiâ cogitemus, nobis res noſtræ non ſordeſcunt; ſed placent; quod ni fiat, de quiete mentis planè deſperandum eſt. Calamitate quidem alienâ gaudere barbarum eſt & inhumanum; verùm, oculos convertendo ad eos, quorum fortunam noſtra ſuperat, in noſtrâ acquieſcere, licitum eſt, honeſtum & laudabile.

Suave mari magno turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quenquam'ſt jucunda voluptas:
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere
ſuave 'ſt.

Ita canit *Lucretius*, L. 2. Nonnullis aliorum fœlicitas creat miſeriam; quidnì itaquè ex alienâ miſeriâ fœlicitatem eliciamus? Certè, tam eſſe miſeriâ beatum, quàm beatitate miſerum, rationi congruum eſt & conſentaneum. Alii intuitu proſperitatis alienæ ſunto calami-

calamitosi; nos fœlicitati nostræ, eam ex aliorum miseriâ, ut remedium è veneno, eruendo consulamus. Nemini nocet, nobis valdè prodest egregium hoc artificium, eóque uti nulli non licet. Quemvis enim statum, etsi vilissimus & malis refertissimus videatur, ita temperavit Deus O. M. ut in eo certum aliquid reperiatur, ratione cujus alteri alicui præferri queat. *Si omnia omnium mala* (inquit *Herodotus*) *unum in acervum congererentur, ut æqualibus partibus factis, quisque unam secum auferret, arbitrari se futurum neminem, qui non sua referre secum, quàm alterius capere mallet.* Cum alienâ verò conditione, quæ nostrâ melior est, nostram non conferre, perindè est ac si illam alienam penitùs ignoremus; quod ad fœlicitatem quantoperè conducat, hæc porrò nos edoceat *Historiola*: Fœmina ad gurgustium condemnata, ibidem filium peperit; qui eo in loco jam grandior factus, aliquandò matrem de conditione suâ conquerentem audivit: Cur adeò querula es, Mater charissima, (inquit filius) adest victus, non deest vestitus, nec desideratur quidpiam, quod desiderare queas. Mi fili, (respondit Mater) libertate careo, Christianorum societate

destituta sum, lumine, aliisque pluribus indigeo, quæ te hoc in loco & natum & educatum ignorare necesse est. Nocuit Matri cognitio, filio profuit status suo melioris ignorantia : ἡ ἄγνοια πολλάκις ἐπ' ἀγαθῷ δίδοται τοῖς ἀνθρώποις, h.e. *Ignorantia sæpè ad bonum datur hominibus*, Responſ. Græc. ad q. 1. apud *Justinum Martyrem*. *Si non resciviſſes*, (inquit *Hieron. Cardanus* de filio supposito) *quod ad fælicitatem attinet, æquè fœlix eſſes, ac si tuus fuiſſet. Nam fælicitas est voluptas animæ ex ratione cognoſcente poſſeſſionem jucundi.* Conditio nostrâ melior fœliciter ignoratur, & nostra haud minùs fœliciter cum ipsâ non comparatur. Ut autem statum nostrum cum præstantiore, ad inquietudinem & perturbationem : ita cum deteriore eundem conferre, ad quietem facit & tranquillitatem : de illo non cogitare, & de hoc crebrò meditari, tam facilè est, quàm ab objectis oculos, quæ visa nocent, avertere, & ad ea, quæ conspecta juvant, convertere. *Pepigit Job fœdus cum oculis suis, ut nè cogitaret quidem de virgine*, C. 31. V. 1. Quid vetat igitur quò minùs cum oculis fœdus pangamus, ut de statu, qui nostro melior est, nè cogitemus quidem? Mentem sanè à

cogi-

cogitationibus de virgine, quàm à cogitationibus de conditione, quæ nostrâ sublimior est, abstrahere, est longè difficilius; eò quòd illæ sunt naturales & penè necessariæ, hæ verò nec naturam, nec ullam præ se ferunt necessitatem; sunt omninò superfluæ, eaúmq; fructus unicus est, Animus sorte suâ non contentus. *Ad te ipso miseriores converte* (inquit *Cardan.* Præf. in L. de utilitate ex advers. capiendâ) *& lætus vives. Inspice triremium calamitates, carceris duritiem, Xenodochiorum fœditatem, stabulorum inopiam, in quibus stipula & fimus pro vestibus hominum sunt.* Et aliis infortuniis recensitis: *Hæc cùm tu considerabis, in summâ tranquillitate vives.* Hanc autem status nostri cum deteriore collationem, omnibus, non ut simpliciter necessariam, sed ut valdè utilem commendamus. Ut beati simus, ut alii sint ærumnosi non opus est, nec ut cuique status suus bonus videatur, ut de pejore cogitet, necesse est. Deum cuique sortem suam distribuisse seriò credamus, atque hoc ad ad opinandum illam bonam esse satis est, & abundè ad ita sentiendum obligat: nostræ tamen sortis cum viliore comparatio, ad opinandum prout exigit Providentia, movet, excitat & instigat.

EPILOGUS.

DElirio perquàm manifesto laborat mundus. Etenim, fœlicitatem impensè desiderat, illi verò quæ adversantur è diametro, avidissimè sectatur. Suam cuique sortem dedit Deus, quæ bona est, quia dedit ille; sed, Deo quasi invito, illam, malè cogitando, nobis malam facimus, seu ita cogitando nos miseros reddimus & ærumnosos. Conditionem quidem eligere, Dei prærogativa est, sed de illâ benè sentire, illámque æqui bonique consulere, nostrum. Vita nostra dramati similis est: quapropter uti rectè monet *Epictetus*, Enchirid. C. 23. *Actorem esse fabulæ talis, qualis Magistro probata fuerit, te memento: si brevis, brevis, si longa, longæ. Si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniosè repræsentes. Ita si claudum, si principem, si plebeium. Hoc enim tuum est, datam personam benè effingere: eam autem eligere, alterius.* Quis es Homuncio, qui illud malum esse temerè arbitrari audeas, quod Deus tuus bonum

num esse judicat? Num quòd ille fert ægrè ferendo, Te illius potestatem irresistibilem agnoscere, sapientiam immensam venerari, amorem ineffabilem colere, illíve obsequium humile præstare existimas? Et, quid ex hâc turpi rebellione lucraris? Miseriam. Deus te viribus donavit, quibus statum illum, in quo te collocavit, bonum esse, quod verum est, opinari, & ita opinando, beari queas; Veritatem igitur cur refugis? Fœlicitati tuæ quarè valedicis? Quamobrèm ultrò miseriam accersis ipse tibi? Tandem aliquandò scias *distantiam boni & mali*, [Ecclesiast. C. 6. V. 5.] seu, quòd status tuus *malus* à *bono* solâ distat *opinione*, & resipiscas, tuæque beatitati seriò prospicias. Prudentem necessitati sese accommodarè cogita: sapientem probare, quod sanxit sapientissimus, arbitrare; æquo animo gratum accipere, quicquid ab amantissimo proficiscitur, animadvertito; totam deniquè voluntatem tuam Divinæ, & universum intellectum judicio Divino conformare, esse obedientiam, quæ creaturam rationis participem maximè deceat, perpendito. Probus hæc diligenter observat, & ἀσπάζεται ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ συμβαίνοντα καὶ ἀπονεμόμενα πάντα. Μὴ πολλάκις δὲ, μηδὲ χωρὶς μεγάλης καὶ κοινωφελοῦς:

πολλῆς ἀνάγκης φαντάζεται, τί ποτε ἄλλος λέγει, ἢ πράσσει, ἢ διανοεῖται. μόνα γὰρ τὰ ἑαυτοῦ πρὸς ἐνέργειαν ἔχει, καὶ τὰ ἑαυτῷ ἐκ τῶν ὅλων συγκλωθόμενα διηνεκῶς ἐννοεῖ. κἀκεῖνα μὲν καλὰ παρέχεται. ταῦτα δὲ ἀγαθὰ εἶναι πέπεισται. ἡ γὰρ ἑκάστῳ νεμομένη μοῖρα συνεμφέρεταί τε καὶ συνεμφέρει, hoc est, ut *Gatakero* interprete, præclarè docet *M. Antoninus*, L. 3. N. 4. *Ex animo prorsùs amplexatur quæcunque ex lege Divinâ illi attributa contigerint. Raro admodùm, nec citra magnam aliquam atque in commune utilem occasionem advertat, quid alius quispiam dicat, faciat, cogitet. Suis enim duntaxat agendis intentus est; sibique ab universo destinata cogitat assiduè. Et illa quidem honesta præstat, ista optima esse persuasum habet. Sors enim unicuique assignata, & conducit ei, & in eum finem est eidem collata.* Quod maximè congruum est, desideras? μόνον φίλει τὸ ἑαυτῷ συμβαῖνον καὶ συγκλωθόμενον. τί γὰρ ἁρμοδιώτερον; *Id solùm diligas, quod obvenit, & à fato destinatum est tibi. Ecquid enim magis est congruum?* ita præcipit *Antoninus* modò citatus, L. 7. N. 57. Quod optimum est, deperis? Ἄλλο γάρ τι θέλεις, ἢ τὸ ἄμεινον; ἄλλο τι οὖν ἄμεινον, ἢ τὸ τῷ θεῷ δοκοῦν; *Nunquid aliud mavis, quàm id quod melius est? quid autem melius est, quàm quod Deo visum est?* *Epictet.* apud *Arrian.* L. 2. C. 7. De

eo,

eo, quod Deo placet, aliter sentire, est & ab omni ratione prorsus alienum, & רעה חולה *malum dolorificum*, [Ecclesiast. C. 5. V. 12, 15.] seu, ut reddit Interpres Vulg. *infirmitas pessima*, & *infirmitas prorsùs miserabilis*. De statu tuo, qualiscunque fuerit, dicito: *Digitus Dei est hic*, [Exod. C. 8. V. 19.] Et, ut monet *Ausonius*, *Fortunam reverenter habe*. Deum ita loqui cogitemus: *Ego, Mortales, cui nihil occultum, nihil difficile, cujus arbitrio cuncta administrantur, vobis sum pater, non terrenus, sed cœlestis, vos ut progeniem deperereo, è vobis neminem perire desidero, vos omnes salvari volo; quod ut fiat, certo benefaciendi consilio, non temerè aut fortuitò, cuivis statum, ipsi qui congruus est, destinavi, omnésque viribus instruxi, quibus suum sibi statum convenire quisque judicare queat. Status omnis, qualiscunque habeatur, meum opus est, & à vestro hâc de re judicio recto fœlicitatem, & illud judicium ab arbitrio vestro pendere volui. Bonam itaquè de paterna meâ providentiâ, curâ & solicitudine opinionem amplexamini, & vivite.* Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Non quod impossibile est, falsum, difficile, aut*

alie-

alienæ voluntati obnoxium, sed ut quisque sortem suam sibi expedire arbitretur, quod possibile est, verum, facile, & in vestrâ potestate suum, mandato meo, quoniam è re vestrâ est, sancire placuit. Obtemperate mihi, estote beati. Invitis quidem fœlicitas haud obtrudetur. Sed, ecce, posui coram vobis viam vitæ, & viam mortis, opinionem bonam, opinionem malam, hanc respuite, illam eligite, estote liberè fœlices. Non-perire quàm facile est? à difficultate salus abest immane quantum? Fœlicitatem tamen, ideò quia libera est & facilis, parvóque constat, negligere nolite. Quarè moriemini? *Quòd si de sorte vestrâ, quamvis à me vobis ex amore designatâ, malè sentiatis, vestra est culpa, vestra quoque perditio.* Quid regerent Prudentes? *De rei bonitate, quæ, Pater optime, tibi placet, vel hæsitare, impudentiæ est. Non nostrum est, summe rerum Moderator, vel statum eligere, vel de eo à Te jam electo, bonus sit, nécne, disputare; sed citra cunctationem, quicquid tibi visum fuerit, probare. Immensum tuum amorem lubentes agnoscimus, ab eo, in statu, in quo sumus, nos collocari, nulli dubitamus, & in hoc propterea grati acquiescimus.* Deniquè, Deo Optimo Maximo gratias longè maximas vel


hoc

hoc nomine debemus, quòd fœlicitatem conditione longè facillimâ, bonâ scilicet de statu opinione, parabilem, & miseriam haud minùs facili, nempè, malæ opinionis exilio, fecerit devitabilem. *Constare fœlicitatem* (inquit *Hieron. Cardanus*, Præfat. in L. de utilitate ex adversis capiendâ) *magis opinione quàm re judicio est, quòd si quis nondum susceperit filios, aut unum habeat tantùm, non dolet nec tristatur: idem cùm quatuor susceperit, perieritque unus, dolet ac lamentatur: Rursùs, si quis non cogitet in maximo etiam luctu constitutus, nihil mali sentit, perindè afficitur ac si nihil incommodi passus esset, neque doleret unquam si nunquam cogitaret.* Πάντα ἡ ὑπόληψις, καὶ αὕτη ἐπὶ σοί· ἆρον οὖν, ὅτε θέλεις, τὴν ὑπόληψιν, καὶ ὥσπερ κάμψαντι τὴν ἄκραν γαλήνη, σταθερὰ πάντα, καὶ κόλπος ἀκύμων, hoc est, *Omnia in opinione sita sunt: & hæc ipsa in te. Quandocunquè ergò volueris, opinionem* [de statu malam] *tolle, & sicut promontorium prætervecto tranquillitas, sic stabilia tibi futura sunt omnia, & sinus æstu immunis. M. Antonin.* L. 12. *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet,* Eccles. C. 9. V. 18. Istud *unum* est de statu *opinio mala*; hæc *multa* sunt *reverentia pia*, quâ Dei longè sapientissimum de nostrâ sorte

judicium

judicium suspicere; *obsequium humile*, quod Divinæ voluntati præstare debemus; *Gratitudo*, quâ nostro Creatori, conservatori, Regi & Patri amantissimo nos devinciri tam æquum est, quàm quod æquissimum; *Prudentia*, quæ necessitati bellum indicere vetat; *Animi tranquillitas*, quæ potissimùm in votis est; & reliqua bona omnia, quæ illam reverentiam, obsequium, gratitudinem, prudentiam & tranquillitatem aut comitantur aut sequuntur: Hæc (inquam) bona, quæ sunt & *multa* & verè *magna*, *unicâ* de statu à Deo nobis designato cogitatione pravâ, utut quibusdam res levicula videri queat, stulti negligimus, vesani contemnimus, miseri perdimus. Ut omnes alii statum tuum causentur, ut iis, de illo, benè opinando, stultus videaris: quid tuâ tamen refert alterutrum, ipse modò bonum esse cogites, & ita cogitando, fœlicitate potiaris? Sed, esto stultitia, beat nihilominùs, & de eâ verum est, quod dicit *Salomon*, Eccles. C. 10. V. 1. *Pretiosior est prudentiâ & gloriâ, parva & ad tempus stultitia*, seu, juxta *Versionem Syriacam* : *Præponderat sapientiæ & gloriæ multæ modica stultitia.* Si stultitia sit, est certè *stultitia Dei, quæ est sapientior quàm ho-*

homines, [1. Corinth. C. 1. V. 5.] eâ quippè mentem noſtram ad Divinam conformamus.



Sect. IV.

Præfatio.

Ex quo Sectionem præcedentem exaravimus, quâ noſtram hanc opellam abſolvere primùm ſtatuimus, occurrit nobis Viri verè egregii & multifariàm docti, *Hieronymi Cardani* Mediolanenſis Medici, de Tædio multiplici Diſſertatio, quam, ut alia tanti Heröis opera, avidè relegimus, in eâque quicquid ad fœlicitatis ſpectat indicium, diligenter obſervavimus. Quâ de re hæc illius verba ſunt: *Nec eſt quòd multitudinem*

diversa adversorum accuses, aut illorum varietatem. Eadem est ratio unius & mille. Fateor diutiùs implicitum te retinent ac magis vexant, sed tamen eâ patientiâ, quâ unum fers, feres & mille. Gravia, periculosa, atrocia difficile est ferre, multa augent molestiam non dolorem aut cruciatum. Sentire hujusmodi titillationum levium molestiarum vacui animi est indicium. Qui semel magno pondere calamitatis pressus est ut luctus aut servitutis aut carceris, nihili facit hæc exigua impedimenta. Hoc solùm me graviter afflictum cognosco, quòd pauca me moveant, à paucis afficiar molestiâ. Beatus est quamvis non deprehendat hoc, qui à minimis torquetur. Quod quasi satyrâ illâ : Ibam fortè viâ sacrâ, *Horatius insinuat. Ex tam levi enim re tantum molestiarum sensit. Si callum manus obduxerit, non solùm filum trahendo non sentit, sed vix ignes. Lætare quamdiù minima ferre non potes. Certus es adhuc ignorare te calamitatis nomen. Nullum ergò fœlicitatis certius signum quàm sæpiùs & à quacunque causâ, molestiâ affici.* De certissimo fœlicitatis indicio ita philosophatur Vir eximius. Quod nos ad pauculos alios Aphorismos, qui tamen à beatitate non sunt alieni, conscribendos excitavit ; & ex illis hanc

po-

ſtremam Sectionem, non ullo contentionis deſiderio irritati, ſed veritatis porrò illuſtrandæ ſtudio impulſi concinnavimus.

In hâc Sectione verò, malorum nomine quævis intelligimus adverſa, & cùm iſtis hominem commoveri, hoc eſt, affligi, moleſtiâ affici, perturbari, ſeu torqueri, dicimus, ſenſus non eſt, vel quòd adverſa ſunt verè mala, vel quòd vis illa, quis perturbatrix iſtis inhæreat; ſed, cum vulgo loquimur, à quo adverſa, & mala cenſentur, & naturâ ſuâ hominem commovere creduntur, quoniam inter hæc duo, nempè, *cùm adverſa eveniunt, perturbatur homo*, &, *adverſa, cùm eveniunt, hominem perturbant*, diſtinguere penitùs ignorat. Quæ *Lectorem* ſemel monuiſſe ſufficiat.

Aphorismus Primus.

Aliquandò malis minoribus magis, majoribus minùs homines commoventur.

Malis haud reſpondet perturbatio; hæc quandoquè magna eſt, cùm iſta ſunt exigua,

exigua, quandoque levis, cùm gravia. Sunt qui luſu ſuam amittunt pecuniolam, ejúſque jacturâ quàm amici fidelis obitu vehementiùs perturbantur. Interdùm levi ſarcaſmo plùs quàm inſigni damno rei familiaris affligimur. Nonnunquàm *excolamus culicem, camelum autem glutimus*, Matth. C. 23. V. 24. An ut ſaxum faciliùs quàm plumam propellimus aut feſtucam : ita mala grandiora quàm minora à corde noſtro longiùs abigimus? An ut quorundam ventriculus cibos, qui concoctu ſunt difficiles, quàm qui faciles, domat fœlicius & in ſuccum convertit meliorem : ita magnæ calamitates quàm parvæ minùs iniquo feruntur animo? An deniquè ut literæ minutiores quàm majuſculæ viſui magis officiunt : ita malis ingentibus quàm exiguis magis afficimur? Res ipſæ naturâ ſuâ non ſunt animorum perturbatrices, quod & ſuprà probavimus, & hìc loci quoquè denuò facilè probatur, quoniam aliàs, magis quæ majora ſunt mala, minùs quæ minora hominem torquerent; quod experientiam haud rarò inficiari videmus. Hæc itaquè moleſtiarum inæqualitas undè proficiſcitur, cùm nec à malis perturbatio, nec ab iſtorum gradibus, gradus perturbationis

ſuam

ſuam trahant originem? Quia nobis, quæ majora ſunt, minora, & quæ minora, majora videntur, iſtis idcircò magis, his minùs affligimur. Sed cauſam inveſtigamus, à quâ tantam repræſentationis diverſitatem derivare queamus. Eam aliquamdiù inveſtigavimus, & tandem duplicem invenimus, præmeditationem ſcilicet, ac non-præmeditationem. Etenim, quæ re verâ magna ſunt, præmeditatione, quæ exigua, non tam præmeditatione quàm neglectu dignamur; atque ea eſt vis præmeditationis, ut mala, quamvis magna, reddat vel omninò nulla vel minora; & mala, etſi parva, ipſâ non-expectatione magna videntur. Conſiderationem ad ſe trahunt magna, quoniam ipſam mereri putantur; eáque minuuntur: parva verò præmeditatione prorſùs indigna judicantur, illiúſque defectu, nobis, ut majora repræſentantur. Mala præcogitando extenuantur, non-præcogitando creſcunt & augentur. Parvis igitur, ut magnis, quia improviſa ſunt, magis; & magnis, ut parvis, quia prævidentur, torquemur minùs: iſta nos oſcitantes adoriuntur & expugnant; hæc præparati excipimus & muniti.

Et prævisa minùs tela nocere solent.

Magna parvis æquat præmeditatio; magnis parva, non-præmeditatio. Incogitantiâ aggravamus levia, & tempeſtivè cogitando elevamus gravia; ſed abſque lucro, niſi plura levia, gravia, quàm gravia, quæ pauca ſunt, fieri levia, lucrum habeatur: aliàs, ſi mala gravia & levia non diſcreparent numero, quod ad miſeriam ſpectat, perindè foret, ſive gravia & levia, ut ſunt, permanerent; ſive iſta fierent levia, & hæc in gravia tranſirent.

Aphorismus Secundus.

Malis minoribus ſæpiùs, majoribus rariùs commoventur homines.

Etenim, majora mala pauca ſunt, rariúſque accidunt; minora verò adeò multa ſunt, ut numerum ferè aſpernentur, nóſque nunquam non obſideant. Ab exiguis malis immunitatem nec ſtatus ſeu conditio quævis, nec perſonæ, nec loca, nec tempora ſibi vindicare queunt. Conditio vel optima, perſonæ quamvis illuſtriſſimæ, loca, etſi

etsi tutissima, tempora, etiam cùm maximè serena: hæc omnia (inquam) minutis infortuniis sunt obnoxia, eâque quotidiè patiuntur. *Si omnia* (inquit *Cardanus* ubi suprà) *animadvertas, finem nullum hujusmodi miseriis invenies adeò numerosæ sunt: noctu cimices, pulices, culices, ranæ strepentes, canis vicini ejulans, cubiculum æstuans, aves infaustæ, omnia luctuosa, vigiliæ ipsæ, somnia horrida, curæ. Die verò clientes assidui, frequentes interpellatores, amicorum officia, præcepta magistratuum, rixæ leves, importunus vicinus, fama non bona, negotia non intermittentia, contentio cum plebeiis sordidisque hominibus, muscæ. In domo, equus ferus, contumax servus, suspecta familiaris ac domestica persona, sordidus puteus, puer fugax aut deceptor, in itinere pluvia assidua, ocreæ dissutæ, latronum metus, equus claudus, via cœnosa, circa rem, vasa fracta, cadi stillantes, vinum corruptum, papiliones frumentum exedentes, murium damna, grando, pruina, tectum aquam remittens, picturæ, tapeta, argenteaque vasa mutuò data nec reddita. Fortuitò quoque amicus adveniens imparato, bellorum rumores, vinum advectum non paratis cadis, merx in ripâ sine vectoribus & gerulis, calor urens, frigus aspe-*

rum, nives prealtæ, domus ruinosa, nebulosus aër, fulgura frequentia, ebriosi domestici, alii ægri, suspiciones variæ, consanguinei qui te exedunt. Hic calamitatum non magnarum elenchus in infinitum augeri potest, aliásque, quibus crescat, cujusque observatio facilè suppeditabit.

Aphorismus Tertius.

Malis majoribus assuetus, minoribus haud facilè movetur.

RES magnæ reliquas minuunt & quodammodo annihilant. Fortuna bona, sive sit infima, sive mediocris, illis, qui optimâ quandoquè usi sunt, ingrata est, & ne bona quidem videtur. Et contrà, mala, sive media sint, sive minima, iis, qui sæpius & diutiùs maxima sunt perpessi, tolerabilia sunt, & vix ut mala repræsentantur. Summâ prosperitate orbato quævis alia insipida est & injucunda, (quo sensu vulgò dicitur: *Miserum est fuisse fœlicem*) & ab extremis calamitatibus liberato, aliæ, nobis calamitates

tes non ſunt, ſed dulceſcunt, à nobis ſaltem minùs iniquo feruntur animo.

Hoc quoq; Naſo feres, quoniam majora tuliſti,
Jam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.

A magno lumine, minus penè non videtur; ab intenſiſſimo frigore, de remiſſiore non conquerimur; qui propter *Nilum* incolunt *Catadupum*, ſonos minores iis, quos *Nilus* præcipitatus à montibus altiſſimis excitat, non percipiunt; & a majoribus malis, quibus aſſuevimus, minora ferè non ſentimus; acſi majora atrociam, à minoribus immunitate lenire & quaſi compenſare ſtuderent.

Aphorismus Quartus.

Malis majoribus aſſueviſſe, utile eſt.

MAlis quippè majoribus aſſueviſſe, eſt veluti antidotus, quâ adverſùs perturbationem & gravem & multiplicem, quæ, malis minoribus ingruentibus, nos ſolet infeſtare, roboramur, & in animâ callum progignit,

gignit, quo ita munitur, ut minora sine molestiâ, aliquandò & sine sensu tolerare queat. *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentiâ suâ*, Lamentat. C. 3. V. 27. *Jugum* (inquam) tam *gravis afflictionis*, quàm *praeceptorum*, quoniam illam meminisse juvat, & ætatem reliquam reddit suaviorem.

Aphorismus Quintus.

Hoc ipso, quòd assuevimus malis majoribus, lætari debemus.

QUòd nunquam dolere, sed semper & ubiquè lætari debemus, alibi probavimus; nunc idem, quod ad externa mala spectat, sed *inductione* demonstrabimus. Sic igitur disputamus: Malis majoribus assuevisse, rè ipsâ utile est; ac proindè, hoc ipso, quòd ipsis assuevimus, gaudere debemus. Res quævis nobis verè utilis, lætitiam nostram postulat & meretur. Secundò,

Aphorismus Sextus.

Hoc ipſo, quòd patimur mala majora, lætari debemus.

SI enim lætandum ſit, eò quòd malis majoribus aſſuevimus, hoc eſt, ipſa olim & diutiùs paſſi fuimus, lætandum eſt etiam hoc ipſo quòd ea patimur, quoniam τὸ *paſſum fuiſſe*, & τὸ *jam pati*, tantùm tempore differunt. Quemadmodùm itaquè legitima eſt hæc ſequela: *Malum eſt olim peccâſſe, ergò & malum eſt jam peccare*, vel hæc: *Deum coluiſſe bonum eſt, ac proindè & nunc temporis Deum colere bonum eſt*: ita, ſi utile ſit majora mala fuiſſe paſſum, nunc eadem pati eſt etiam utile, eóque propterea gaudere debemus. Tertiò,

Aphorismus Septimus.

Cùm mala ſunt minora, gaudere debemus.

CUm mala ſunt majora, gaudendum eſt, ut modò demonſtravimus, quamobrèm multò magis, cùm minora ſunt, lætari oportet. Animam magnorum malorum victricem exiguis ſuccumbere, eſt miſera veſania, & ſtultitia planè ridicula. Et quidem, cùm exigua mala ſint penè infinita, (uti modò dictum fuit) ſi æquum ſit, ut mœreamus, quotieſcunquè contigerint; quid aliud erit hæc noſtra vita, quàm luctus conſtans & perpetuus? Quartò,

Aphorismus Octavus.

Cùm eveniunt malis opposita, gaudere debemus.

CUm res sunt adversæ, lætandum est; quocircà & cùm prosperæ sunt & secundæ, lætandum. Si ægri, pauperes & contempti, hilares esse debeamus, certè æquum est ut sani, opulenti & honorati gaudium amplexemur. Sanitas quidem ægritudini, egestati divitiæ & honor ignominiæ adversantur; verùm, ut albedinem, & nigredinem, quæ ipsi repugnat, unus & idem oculus videt citra molestiam, & cum delectatione percipit: ita & animus prudentiâ imbutus, absque mœstitiâ, imò cum lætitiâ, quæcunque in hâc vitâ contingunt, utut contraria sint, intuetur & excipit. Quocircà,

Aphorismus Nonus.

Quæcunque nobis eveniunt, læta mente sunt excipienda.

ETenim, mala sive majora sive minora, & illis opposita, (quorum singula hilari animo ferenda esse, modò demonstratum est,) externa omnia complectuntur.

Aphorismus Decimus.

Torqueri malis minoribus, non est signum fœlicitatis.

REquâvis torqueri miserum est, & quàm magna aut parva sit illa, quâ angimur, ut an ense vel pugione interimamur, parùm referre putamus. Quamobrèm malis minoribus torqueri, fœlicitatem haud magis, quàm aut vitium probitatem aut morbus sanitatem indicare potest; quoniam ut pro-

bitati vitium morbóque ſanitas, ita miſeriæ fœlicitas adverſatur. Minoribus quidem hominem torqueri, eum majoribus non aſſueviſſe probat, & mentis, ut quæ levibus opprimitur, imbecillitatem denotat; beatitudinem verò haudquaquàm demonſtrat, niſi tenebræ lucis, aut quodvis contrarium, contrarii index habeatur. Cùm itaquè dicit *Cardanus: Nullum certius fœlicitatis ſignum, quàm ſæpiùs & à quâvis cauſâ moleſtiâ affici*, à malis majoribus immunitas, eſt fœlicitas, ad quam ſolam ipſum reſpicere credimus; ſed non eſt quòd illam immunitatem auguſto fœlicitatis nomine inſigniret. Non ideò minùs ærumnoſi ſumus, quia minora ſunt, quibus affligimur, nec fœliciores, quia majoribus non vexamur. Tam miſer eſſe poteſt quiſquis torquetur exiguis, quàm qui magnis urgetur. Miſeria eò major aut minor eſt, quò magis aut minùs torquemur, non quò majora ſunt mala aut minora, quibus affligimur. Cùm minus eſt malum, miſeria major, cùm majus, minor eſſe poteſt. Objectorum æqualitati vel inæqualitati, paritatem miſeriæ vel imparitatem non debemus; & quid juvat exiguis calamitatibus graviter afflictum in majores non incidiſſe?

Negativa

Negativa fœlicitas est nullo perturbari malo, vel grandi vel pusillo : *Positiva*, quæcunque occurrunt æqui boníque consulere. *Beatus est præsentibus* (inquit *Seneca*) *qualiacunque sunt, contentus, amicúsque rebus suis* : Beatus autem non est, qui se beatum esse non cognoscit, ut nec miser, qui se miserum esse non existimat ; ita ut signis, quibus sibi patefiat sua cujusque vel beatitudo vel miseria, haud opus esse videatur. Nullum verò, quo alteri demonstretur beatitas, τεκμήριον agnoscimus. Ut bonitatem, ita fœlicitatem simulare, & simulando, cunctos alios possumus decipere. Est fœlicitas sicut *novum nomen in calculo scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit*, Apocalyps. C. 2. V. 17. Sed, si de aliorum fœlicitate libeat conjecturam facere, (quod nostrâ tamen parùm interest, modò nos ipsos beatos esse cognoscamus) à linguâ signum mutuemur. Vides hominem, qui nec Deum accusat, nec de iis, quæ Dei jussu eveniunt, conqueritur ? Illum inter *Beatos* collocare nè verearis. Sorte suâ contentum esse, qui nihil ægrè fert, & illum nihil ægrè ferre, cujus omnis sermo à querimoniâ alienus est, meritò præsumitur. *Ex abundantiâ cordis os loquitur*, Matth. C. 12. V. 34

V. 34. Os laudibus repletur, quibus quæcunque accidunt, commendamus, si cor sit pacatum, tranquillum & compositum; querelis verò, quibus ea, quæ eveniunt, causamur, si luctuosum, miserum & perturbatum.

EPILOGUS.

QUi opinione suâ beati sunt, se nec Aphorismis nec aliis adminiculis indigere existimant; qui se verò miseros esse putant, remedia contemnunt ut inefficacia. Aphorismis igitur quid opus est? Ad beatos quod attinet; illis, ut fœlices evaserunt, scire, gratum, & quo pacto fœlicitatem sartam tectam conservare queant, & utile & jucundum fore nulli dubitamus. Sed beati, ipsis etsi suppetias haud feramus, tranquillitate suâ fruantur in æternum. Ad miseros accedimus, eósq; monemus, quòd sponte suâ sunt miseri, non durâ & ferreâ necessitate; dein, ut abdicent miseriam & adipiscantur fœlicitatem, ostendimus; quâ ratione deniquè, postquàm semel

mel effugerint miſeriam, ita ſe gerant, ut in illam non relabantur, enarramus. Quòd ſi ex hiſce lucubrationibus utilitatem percipere neglexerint & recuſaverint, peccâſſe pœna ſit. Illis ſupplicium, quia miſeriâ, contemptus ſalubrium pharmacorum abundè multatur, imprecari nolumus. Utut ſe res habeant, nobis certè & volupe eſt eùm beatos oblectare & confirmare, tum miſeris prodeſſe voluiſſe, & ſatis, tempus ſucciſivum in eo ſtudio collocâſſe, quod utroſque juvare poſſit & debeat.



F I N I S.